DE FIDE ET AUCTORITATE APPIANI.

TYPIS P. S. BARGHOORN.

DE

FIDE ET AUCTORITATE

APPIANI

IN BELLIS ROMANORUM CIVILIBUS

ENARRANDIS

exploratis fontibus.

QUIBUS USUS ESSE VIDETUR.

SCRIPSIT

Dr. I. A. WIJNNE.

GRONINGAE,

APUD K. DE WAARD.

1855.

VIRO CLARISSIMO

IACOBO ADOLPHO CAROLO ROVERS,

PHIL. THEOR. MAGISTRO, LIT. HUM. ET IURIS UTRIUSQUE DOCTORI,

IN FACULT. PHILOS. THEOR. ET LIT. HUM. PROFESSORI ORDINARIO,

IN ACADEMIAM
RHENO-TRAIECTINAM PROFICISCENTI,

D. D. D.

SCRIPTOR.

CONSPECTUS.

In primis arduum videtur, res gestas scribere.

SALLUSTIUS.

CAPUT I.

De fontibus, quibus Appianus libro primo de Bellis Civilibus usus esse videatur.

§ 1.

De Appiano aut rerum scriptore aut compilatore.

De fontibus Appiani in libris de Bellis Civilibus dicturus illud ante omnia profiteri cogor, hanc investigationem unam in paucis tantis difficultatibus premi, ut vix ad liquidum perduci posse videatur. Non solum enim ipse Appianus ab indicandis suis auctoribus fere ubique abstinet, sed comparatio accurata eius librorum de bellis civilibus cum aliis scriptoribus eadem tractantibus me abunde docuit, plurima e scriptis, quae ei fontium loco exstiterint, temporum iniuria interiisse 1). Accedit, quod unicuique Appiani historias cum aliorum adhuc exstantibus scriptis sedulo conferenti mox persuasissimum erit, eum plurima illorum sive ignorasse, sive neglexisse. His cognitis quivis intellexerit, me duce certo destitutum tanquam in mari turbido et procelloso huc illuc iactari, neque igitur plus a me postulare velit quam in tanta rerum farragine praestare queam.

De persona atque vita Appiani nihil aliud compertum habemus praeter pauca ea, quae in fine prooemii, operi suo praemissi 2), ipse de se scripsit. Vixit igitur Appianus imperante Traiano ac Hadriano, sed produxit etiam vitam usque in

1) Cff. Egger, *Examen crit. des histor. anciens de la vie et du règne d'Aug.* p. 75 et Thadd. Lau, *die Gracchen und ihre Zeit*, p. 15.
2) App. *Praef.* 15. — Cff. Schweigh. *Exercit. in App. Opusc. Acad.* pars post., p. 9 sq. et Egger, p. 243 sq.

Antonini Pii imperium, quo regnante historias suas edidit. Cuius operis scriptor inde ab H. Stephano 1) a viris doctis, Scaligero 2), Vossio 3), Fabricio 4) compilator nullius iudicii ac plagiarius habitus et nominatus est, sed verissime testatur Wyttenbachius 5), Appiano praesertim a Schweighaeusero existimationem restitutam esse. Post quem tamen Wachsmuthius 6), Schoellius 7), Ramshorn 8), Niebuhrius 9), Ulrici 10), Hagen 11), alii Appianum inter compilatores referre non desinunt. A quorum virorum opinione ut ego prorsus dissentio, ita dissentiunt Schweighaeuserus 12), Egger 13), Dorn Seiffen 14), Bernhardy 15), merito contendentes, Appianum, praeter libros bene multos, passim ultimos, quos dicunt, fontes, monumenta lapidea, senatusconsultorum exempla, sepulcra, epistolas adiisse, adeoque compilatoris nomen haud in ipsum quadrare. Quid quod Wyttenbachius 16) eum optimis historicis, veluti Thucydidi, Livio et similibus, nec adiungendum nec longe postponendum iudicat. Quatenus vero e molesta fontium disquisitione atque accuratissima meditatione totum Appiani opus profectum sit, videant alii, quum mihi, quantum fieri potest, modo explorare iuvet, quosnam auctores in bellorum civilium enarratione sibi praeeuntes habuerit scriptor.

1) Steph. *in App. edit.* ab ipso facta. — ~~Cf. Schweigh. *Exercit.*, p. 9 sq.~~

2) Jos. Scalig. *in Animadv. in Chronol. Euseb.*, p. 84, 168, 212 et alibi.

3) Voss. *de hist. Graec.* Amstel. 1689, p. 125.

4) Fabric. *Bibl. Graec.* III, p. 398.

5) *Biblioth. Crit.* III, pars I, p. 93.

6) Wachsm. *in Ersch. u. Grub.* i. v. Appianus.

7) Schoell, *Gesch. der Griech. Lit.* II, p. 428.

8) Ramsh., *de reip. Rom. form. temp. Sull.* p. 2, 3.

9) Nieb. *Röm. Gesch.* 1832. III, p. 246, not. 353, not. 844, not. 872; *Vortr. Ed. Isler.* I, p. 60, 254; II, p. 239.

10) Ulrici, *Charakt. der ant. Hist.* p. 73, 242.

11) Hagen, *Untersuch. über Röm. Gesch.* I. *Catil.*, p. 18.

12) Schweigh. *Exercit. in App.*, p. 83 sq.

13) Egger, *Examen crit des hist. d'Aug*, p. 251 sq.

14) Dorn Seiff. *de Sex. Pomp. Magno Cn. Magni fil*, p. 10 sq.

15) Bernh. *Grundr. der Griech. Litter.* 2a Edit. I, p. 525.

16) *Bibl. Crit.* III, pars I, p. 93.

§ 2.

Quosnam auctores Appianus libro primo bellorum civilium sequi potuerit, quaeritur. — Neque Gracchorum orationes aliave scripta, neque Fannii annales ei ad manum fuisse videntur. — Rutilii Rufi historiam Romanam verisimiliter usurpavit.

Bella civilia, quae primo Appiani libro continentur, sunt: Gracchorum turbae, Appuleii seditio, bellum sociale, bellum Marianum, bellum Sullanum, bellum Sertorianum, bellum Spartacium. Fontes, quos de his rebus Appianus inspicere potuit, fere huc redeunt: Gracchorum orationes, matris Corneliae ad Caium filium epistolae, Caii de fratre Tiberio scriptum, Caii Fannii annales, Rutilii Rufi historia Romana, L. Corn. Sisennae historiae, Claudius Quadrigarius, Valerius Antias, Luculli historia belli Marsici, Hortensii annales, Sullae commentarii, Sallustii historiae, Posidonius, Strabo, Cornelius Nepos, C. Oppius, regis Iubae commentarii, Fenestella, Titus Livius. Quorum virorum scripta sive omnino, sive fragmentis quibusdam exceptis perierunt. Praeter illos eorundem temporum historia ante Appianum conscripta est a Frontino, a Cicerone, a Velleio Paterculo, a Diodoro Siculo, a Valerio Maximo, a Plutarcho, a Floro. Verum nullum omnino nomen e longa illa serie occurrit in hoc Appiani libro, qui a testibus citandis sedulo abstinet, nisi quod semel commentarios quosdam se invenisse testatur 1), qui tradant, Sullam senatusconsulto quodam *'Επαφρόδιτον* fuisse appellatum.

Iam de singulis scriptoribus, quatenus Appianum eos secutum esse verisimile sit, exploremus. Neque Gracchorum orationes 2), quas Plutarchus saepius citat, neque Caii de fratre scriptum 3) aut Corneliae ad Caium epistolas 4) novisse videtur Appianus. Nihil enim eorum, quae ille ex iis affert, apud Appianum legitur. Constat quidem, orationes illas collectas fuisse 5) et monumenta Gracchorum manus Plinii aetate adhuc exstitisse 6), sed nihil probat, illas Appiano ad manum fuisse.

1) I, 97. 2) Plut. *Tib. Gr.* 9, 10, 15; *Cai. Gr.* 3.
3) Plut. *Tib. Gr.* 8. 4) Plut. *Cai. Gr.* 13.
5) Cic. *Brut.* 27. 6) Plin. *Hist. Nat.* XIII, 26.

Quum enim Nitzschius quamvis dissentiente Heereno 1) iure dubitet 2), an Plutarchus eas revera viderit, eo verisimilius videtur, Appianum pauca illa, quae e Tiberii oratione apud eum inveniuntur 3), aliunde collegisse 4). Quod eo lubentius credimus, quoniam annalium scriptores satis ampla fragmenta ex orationibus clarorum virorum afferre solebant 5). Negandum est etiam, Appiano Corneliae epistolas, quas solus Cicero commemorat 6), quasque pauci modo novisse videntur 7), innotuisse. Plutarchum easdem haud novisse, invito Heereno 8) affirmat Nitzschius 9). Quum porro id, quod Plutarchus e Caii scripto hausit, apud Appianum frustra quaeratur, neque hoc opus ei innotuisse statuimus.

His iungantur C. Fannii, utriusque Gracchi amici, annales sive historiae, a plerisque veterum laudatae 10), quae ubi inceperint non constat 11); at deductas eas fuisse ad scriptoris usque tempora certum est 12). Gracchorum res uberius narraverat Fannius, siquidem teste Cicerone 13) integram Q. Metelli orationem contra Tiberium exposuerat 14). Nullo tamen testimonio freti affirmare audemus, Appianum Fannii annalibus usum esse, quum neque locus 15), a Plutarcho ex eo allatus, neque ceteri, quamvis pauci, alibi servati 16), id sinant.

Sequatur Rutilii Rufi, probitate et calamitate sua notissimi, Marianis temporibus innocui in exilium acti, historia Romana, Graece conscripta 17). An hoc libro ab urbis origine

1) Heeren, *de font. Plut.* in Comm. Gott. Rec. IV, 91.
2) Nitzsch, *die Gracchen* p. 455. 3) App. *B. C.* I, 9, 11.
4) Cff. Meyer, *orat. Rom. fragm.*, p. 110 sq. et Egger, p. 259, 260.
5) Cic. *Brut.* 21. — Krause, *vitt. veter. Hist. Rom.*, p. 172. — Nitzsch. l. l.
6) Cic. *Brut.* 58. — Cf. Nitzsch l. l. 7) Nitzsch, p. 455.
8) Heeren, p. 92. 9) Nitzsch, p. 455.
10) Cic. *Brut.* 26, 87; *de Orat.* II, 67; *de Leg.* I, 2; *ad Attic.* XII, 5. Cf. Krause, *vitt. vet. Hist. Rom.*, p. 171.
11) Heeren, p. 92. — Krause, p. 172.
12) Heeren et Krause l. l. 13) Cic. *Brut.* 21.
14) Plut. *Tib. Gr.* 14, cf. Heeren, p. 93, qui putat, Plutarchum ibi ad orationem illam respicere.
15) Plut. *Tib. Gr.* 4. 16) Cf. Krause, p. 173 sq.
17) Athenaeus IV, p. 168 d. c. 20.

historias inceperit Rutilius, iure dubitatur 1); sed eum Gracchorum turbas ac Marii incepta complexum esse constat 2). Vir fuit non saeculi sui, sed omnis aevi optimus 3) idemque doctissimus 4), Stoicus, et ut ceteras virtutes omittamus, scriptor fide dignissimus, quem Plutarchus, quamquam ipse non optimus iudex, veracem ac probum vocat historicum, nisi quod Mario infestus fuerit 5). Verum Livius, quamquam parum firmo argumento usus, ei uno loco fidem derogat 6), sed eum ceteroqui merito permagni facit. Eidem Plutarchus plurimum tribuit 7). Denique Appianus eum in rebus Hispanicis (non in bell. Hann., ut habet Krause p. 229) semel citat 8). Uti hinc cum aliqua veri specie concludere licet, Appianum et in Gracchorum et in Marii historia quaedam ex eo hausisse, ita augetur haec suspicio, quoniam Appianum, uti Rutilium, Mario nonnihil infestum cognovimus, quod infra patebit.

§ 3.

Haud apparet, Appianum Sisennae, Valerii Antiatis, Claudii Quadrigarii Hortensiique annales Sullaeve commentarios adhibuisse.

Pervenimus ad L. Corn. Sisennam, Marii et Sullae aequalem, qui historiam belli Marsici et bellorum civilium usque ad Sullae dictaturam descripsit 9). Huius operis iactura eo magis deploranda, quia Sisennae a Varrone 10), a Cicerone 11) et a Sallustio 12) palma inter historicos tributa videtur. Neque Plu-

1) Heeren, p. 94; Lachm. *de font. Liv.* Comm. II, p. 27. — Contrarium existimat Krause, p. 228.

2) Plut. *Mar.* 28. *Pomp.* 37. — Cff. scriptores cit. not. 1.

3) Vell. Pat. II, 13. — Cf. tamen Krause p. 229.

4) Cic. *de Nat. Deor.* III, 32. 5) Plut. *in Mar.* l. l.

6) Liv. XXXIX, 52. Cff. Lachm. et Krause l. l.

7) Heeren, p. 94 et 106.

8) App. *Hisp.* 88. — Cf. Suidas i. v. Ῥουτίλιος. — Schweigh. *Exercit. in App.* p. 64.

9) Gerlach, *Sall.* III, p. 48. — Krause, p. 300-303. — Bähr, *Griech. Liter.* II, p. 23. — Nieb. *Vortr.* I, p. 37.

10) Cf. Krause, p. 301. 11) Cic. *Brut.* 64, 74; *de Leg.* I, 2.

12) Sall. *Iug.* 95.

tarchus 1) eundem neglexit. Appianus eum nec nominat, nec adhibuisse videtur, siquidem e duobus Sisennae fragmentis nihil apud eum reperitur. Altero illorum locorum agitur de ostentis quibusdam, initio belli Marsici a Sisenna allatis 2), altero autem de milite Pompeiano, in proelio apud portam Collinam fratrem suum, dein cognito facinore se ipsum interficiente 3).

Sisennae aequales fuerunt annalium scriptores Valerius Antias et Q. Claudius Quadrigarius 4), quorum operibus Appianum usum esse e nullo indicio colligi potest. Nam neuter usquam in eius libris nominatur, nec fragmenta, quae ex eorum annalibus servata sunt, ad collationem adhiberi possunt. Sic Quadrigarius in quodam fragmento, auctore Popma ad bellum sociale pertinente 5), exemplum fidei duorum servorum ex urbe Grumento erga dominam suam narrat, quod Appiano, licet Grumenti obsidionem attingat 6), incognitum est. Censuerunt quidem Vossius et Schweighaeuserus 7), Paulum Claudium, qui ab Appiano in rebus Gallicis fr. 3 laudatur, eundem esse ac Quadrigarium, sed quominus iis assentiamur, prohibet cum Quadrigarii praenomen „Quintus," tum Krausii auctoritas 8), tumvero aliorum in alia omnia discedentium opiniones 9). Ceterum annalium illorum argumentum, quippe qui eadem tempora partim comprehenderint, non impedivisse, quominus Appianus eos hîc sequeretur, notissimum est 10).

Aeque incertum est, num Appiano Luculli historia belli Marsici, Graece composita 11), profuerit, quod tamen non credibile, quum teste Heereno neque Plutarchus multa ex ea

1) Plut. *Lucull.* 1. — Cf. Heeren, p. 93, 112, not. *v.*

2) Cic. *de Divin.* I, 44. — Cf. Oros. V, 18.

3) Tacit. *Hist.* III, 51. — Cff. Liv. *ep.* 79 et Oros. V, 19, qui nonnihil inter se discrepant.

4) Vell. II, 9. — Cff. Lachm. *de font. Liv.* Comm. II. p. 22, 24 sq.; Krause, p. 243, sq.; p. 266 sq.; Bähr, p. 23; Nieb. *Vortr.* p. 30, 32.

5) Krause, p. 260, 261. 6) App. 41.

7) Schweigh. *Exercit.*, p. 65; 66, not. et ad App. III, p. 172.

8) Krause, p. 213, 245, not.

9) Lachm. II, not. 4. — Krause, p. 213.

10) Cff. scriptores recent. laud. not. 4.

11) Plut. *Lucull.* 1. — Cic. *ad Att.* I, 19. — Bähr, p. 26.

in suos usus convertere potuerit 1). Cui addo Hortensii annales, quos Velleius Paterculus de bello sociali retulisse ait 2), quorumque tamen Appianum immemorem vel inscium fuisse opinor, quum Minatii Magi fortium facinorum in bello sociali exponendo ne verbo quidem meminerit.

Verum gravior est quaestio, num Appianus Sullae commentarios, bellum sociale leviter modo perstringentes, sed certamina cum Mario et bellum civile copiose explicantes 3), quibus Plutarchus tot tantaque debuit 4), secutus sit. Hoc enim si aut certe affirmare, aut omnino negare possemus, tutius quoque de eius fide in Sullae rebus narrandis iudicare liceret. Et sane primo aspectu res habet, quibus se commendet. Non solum enim in historia belli Mariani et Sullani verba, quibus Sulla milites 5) vel populum 6) allocutus est, solus 7) interdum laudat Appianus aliisve locis 8) quid ad senatum scripserit refert, sed haud semel, ubi res varie tradebatur, illud commemorat, quod Sullae laudibus magis favet 9). Sed ut dubii hac in re haereamus et ad negandum potius quam ad affirmandum propensi simus, hae in primis faciunt causae. Praeterquam quod vel levissimum ipsius scriptoris indicium desideramus, in Sullae etiam obitu narrando commentariorum haud meminit. Ibi enim tantum dicit, Sullam testamenti tabulas scribere coepisse eodemque die confecisse, quibus obsignatis ea nocte e vita excessisse 10). At Plutarchus eum vigesimo secundo commentario biduo antequam decesserit extremam manum imposuisse tradit 11). Sed quod gravius est, eas res, quas Plutarchus Sulla auctore commemorat, frustra apud Appianum quaeras. Ita Appianus Marianorum copias initio belli Sullani recensens cohortes quingenarias ducentas affert 12), quum Plutarchus Sullae testimonio fretus fuisse quindecim duces, qui cohortes

1) Heeren, p. 111. 2) Vell. Pat II, 16. — Cf. Bähr, II, p. 25.
3) Cff. Heeren, p. 107, Krause, p. 290, Bähr, p. 23.
4) Heeren, l. l. et alibi. 5) App. *Bell. Civ.* I, 57, 65.
6) App. *B. C.* I, 89, 95. 7) Ibid. 57, 77, 79, 95.
8) App. *Bell. Civ.* I, 77, 79.
9) App. *Bell. Civ.* I, 56 coll. cum. Plut. *Mar.* 35; App. *B. C.* I, 58 coll. cum Plut. *Sull.* 9 et Flor. III, 21. Vid. infra.
10) App. *B. Civ.* I, 105. 11) Plut. *Sull.* 37. 12) App. *B. Civ.* I, 82.

quinquaginta et quadringentas haberent, contendat 1). Aliud exemplum in pugnae ad Sacriportum descriptione habes, ubi Sulla tantum viginti tres ex suis desideratos, ex hostibus cecidisse viginti millia, octo millia captos esse scripserat 2). Quorum immemor Appianus nullos numeros affert 3). Quapropter mecum reputans, argumentis supra allatis non tantam vim inesse, ut ab omni obiectione immunia sint, haudquaquam pro certo affirmare ausim, Appiano Sullae commentarios ad manum fuisse.

§ 4.

Num Sallustii historiis usus sit Appianus, investigatur.

Inter veterum opera, quorum interitum valde dolemus, insignem sane locum occupant Sallustii Historiae, quae quinque libris tempora inde a Sullae morte usque ad Mithridatis obitum continebant 4). Hos libros, quos Plutarchus haud negligendos sibi putavit 5), Appianum inspexisse, nullo firmo argumento probari potest. Sunt quidem in fragmentis Appiani de rebus Numidicis duo loci 6), quos Ursinus ad verbum e Sallustii Iugurtha translatos existimat 7); at vereor, ne ille fallatur. Quum enim hic altero loco scribat: „consul (Marius), haud dubie iam victor, pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo post diem quintum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati a Boccho veniunt" 8) e. q. s., Appianus quidem de summa rei cum eo consentit, sed quaedam omittit, quae me iudice consensum, si revera exstaret, aptissime demonstrarent. Nimirum tacet, Marium Cirtam proficisci intendisse, et temporis definitionem quinque dierum praetermittit. Si porro tecum reputaveris, ambos scriptores in iis, quae proxime sequuntur, admodum inter se discrepare, et alterum fragmentum, quo nititur Ursinus, nimis breve esse, quam quod comparationi

1) Plut. *Sull* 27. 2) Plut. *Sull.* 28. 3) App. *B. Civ.* I, 87.
4) Gerlach, *Sall.* III, p. 47 sq., 115, 151 sq. — Bähr, II, p. 70.
5) Heeren, p. 103 et alibi.
6) Fragm. 3 et 4 ap. Schweigh. I, p. 502 et 503.
7) Cf. Schweigh. ad h. l. 8) Sall. *Iug.* 102.

inservire possit, mecum concludes, e locis illis minime effici posse, Appianum sua e Sallustio hausisse.

His praemissis iam nunc demonstrabo, inter Sallustii historiarum fragmenta atque Appiani Bella Civilia nullam quoque similitudinem intercedere. Fragmenta, de quibus hîc sermo est, agunt de bello Sertoriano et de bello Spartacio. Quum Plutarchus nihil dicat de Pompeii itinere ex Italia in Hispaniam, Appianus id breviter describit 1), sed omittit, quae secundum Sallustium Pompeius in epistola ad senatum scripserat, se diebus quadraginta exercitum parasse, hostesque summovisse iterque aliud quam Hannibalem patefecisse 2). In eadem epistola 3) Pompeius se primum Sertorii impetum sustinuisse ait cum multò paucioribus militibus 4), et dolet 5), se omnes opes et spes privatas suas illo bello consumpsisse 6). Nihil horum apud Appianum invenitur. Tum alia proelia habet Appianus, alia Sallustius, quorum hic, non ille, tradit, Pompeium in pugna apud flumen Turiam ducem hostium C. Herennium vicisse urbemque Valentiam deinde delevisse 7). Eadem occurrunt apud Plutarchum, qui decem millia hostium caesa esse addit 8). Historiam Perpernae coniurationis aliter a Sallustio quam ab Appiano narratam esse, aliud quoddam fragmentum declarat. Quum enim hic, praeter Perpernam, neminem e sceleris consciis nominet 9), Sallustius quomodo in postrema illa Sertorii coena convivae discubuerint, describit pluresque eorum enumerat, Antonium, Versium, alios 10). — Plura cupientes adeant Kritzium 11).

1) App. *Bell. Civ.* I, 109.

2) Sall. *Hist.* fr. III, 11 ap. *Gerl.* I, p. 230, *Kritz*, p. 198.

3) Gerl. p. 231, Kritz, p. 199.

4) Quod Galbae testimonio ap. Oros. V, 23 confirmatur, qui Pompeio fuisse 30,000 peditum, 1000 equites, Sertorium autem 60,000 peditum, 8000 equitum habuisse scripserat.

5) Gerl. p. 230, Kritz, p. 197.

6) Cum Sallustio conspirat Plutarchus *Sert.* 21, *Pomp.* 20. — Appianus *Bell. Civ.* 111 tamen refert, senatum ad priorem exercitum alias duas legiones misisse. Plutarchus contra pecuniam misisse affirmat, *Pomp.* 20, *Lucull.* 5.

7) Gerl. p. 231, Kritz, p. 200. 8) Plut. *Pomp.* 18.

9) App. *Bell. Civ.* I, 113.

10) Sall. *Hist.* fr. III, 43 ap. *Gerl.* I, p. 237, *Kritz.* p. 203.

11) Kritz, p. 92, 93, 137, 139 et alibi.

Quaedam, etsi pauciora, Sallustii fragmenta de bello Spartacio nos eodem modo docent, Appianum, quantum videre licet, hunc scriptorem non usurpasse. Sallustius uberius exposuerat clades, post legatorum Romanorum cum Spartaco proelia 1) ipsi praetori Varinio ab illo illatas, atque fugitivorum successu elatorum libidinem avaritiamque 2). Verum Appianus Varinium parum prospere pugnasse eumque etiam equo Spartaci potitum esse obiter tantum narrat, tantillumque abfuisse, quin praetor Romanus a gladiatore caperetur 3). Quod Florus item memorat nomine modo Varinii omisso 4). Sallustius unum fugitivorum, loci gnarum, Publiporem, constitisse in agro Lucano dicit 5), quod Kritzius post Crixi cladem 6) factum verisimillimum existimat. Utut est, hominis illius non meminit Appianus.

§ 5.

Quaeritur, utrum Appianus Strabonem, an Posidonium, an Nepotem, an Oppium, Iubamne, an Fenestellam contulerit.

Sullae commentarios excipiant Posidonius et Strabo, quorum uterque, Polybium continuans, res fere easdem descripsit, nisi quod Strabo paulo altius descendit. Dum enim Posidonius in anno 63 a. C. desiisse videtur 7), Strabonem historias usque ad Caesaris caedem deduxisse e Plutarcho, qui interdum ad eius auctoritatem provocat 8), patet 9). De Strabone plura addere nihil attinet. Sed si quis cum Niebuhrio aliisque 10) Appianum Posidonio multa accepta referre putaverit, me non dissentien-

1) Plut. *Crass.* 9. 2) Sall. *Hist.* ap. *Gerl.* I, p. 253, 254, *Kritz.* p. 247 sq.
3) App. *B. Civ.* I, 116. 4) Flor. III, 20.
5) Sall. *Hist.* fr. III, 3 ap. *Gerl.* I, p. 230, *Kritz.* p. 270, quem vide. — Aliud exemplum praebet Kritzius, p. 332.
6) App. I, 117. — Plut. *Pomp.* 21. *Crass.* 11.
7) Heeren, p. 97 sq. — Schoell II, p. 360, 739.
8) Plut. *Sull.* 26, *Lucull.* 28. — Heeren, p. 100.
9) Plut. *Caes.* 63.
10) Nieb. *Vortr.* I, p. 60, 254. — Kiene, *der röm. Bundesgenossenkrieg*, p. 318.

tem habebit, quamquam in re incertissima id magis coniicere 1) quam firmis argumentis demonstrare licet. Quae vero me ad hanc opinionem inducunt, sunt et mentio, quam apud Appianum deprehendo agri publici, si cultus esset, a Romanis statim aut novis colonis gratis divisi, aut pretio traditi, vel elocati 2), etvero virorum, quos dixi, auctoritas. Accedit, quod Appianus, in bello sociali rebusque Marii ac Sullae exponendis talem sibi fontem elegisse videtur, e quo pleno ore haurire posset ideoque neminem Posidonio uberiorem 3) facile repererit. Denique et hoc nonnihil apud me valet, quod Appianus in historia certaminum Marii Sullaeque admodum a Plutarcho differt, hic vero Sullae commentarios, quibus Appianum non usum esse puto, maxime ducem sibi praeeuntem habuit. Utut est, et hoc nos ignorare voluit Appianus.

Tandem obiter attingendi nobis C. Nepos, C. Oppius, Iuba, Fenestella. Etsi Iubam se novisse indicat Appianus 4), num eum adhibuerit haud decernit. Pariter de ceteris silet. Itaque haud diiudicare possumus, utrum Nepotis vitam Gracchorum 5), an Iubae historias, Sullana tempora comprehendentes 6), an C. Oppii vitam Pompeii 7), an Fenestellae annales, ultra Crassi aetatem deductos 8), adierit necne. Plutarchus certe ad omnes illos scriptores saepissime provocat 9); sed pauca, huc pertinentia, quae hic et e Fenestella 10) et ex Oppio 11) se traxisse testatur, Appiano incognita sunt.

Eodem modo pergentes plures historicos, quorum opera non amplius supersunt, afferre poteramus, sed a tali disquisitione abstineamus, quippe quae nihil lucri pariat, nisi forte quis coniecturarum, quas protulimus, unam alteramve ad certius quid

1) Obiter adnoto, illud, quod apud Plutarchum auctore Posidonio de Marii morte legitur, haud ab Appiano commemorari. Vid. infra.

2) App. *Bell. Civ.* I, 7. — Cf. Nieb. p. I, 254.

3) Heeren, p. 98. — Kiene, l. l. 4) App. *B Civ.* II, 101.

5) Heeren, p. 92. — Cf. Bähr II, p. 52 sq.

6) Heeren, p. 101 et saepius. — Schoell II, p. 361. — Egger, p. 94, 284.

7) Heeren, p. 116. — Bähr. II, p. 46.

8) Heeren p. 103 et alibi. — Bähr, II, p. 111. — Egger, p. 107, 108.

9) Heeren, l. l. 10) Plut. *Sull.* 28. — Cf. (A. V.) *d. v. i.* 68.

11) Plut. *Pomp.* 10.

statuendum nonnihil prodesse existimare velit. Potius properemus ad scriptores, qui aut integri in manibus sunt, aut quorum saltem plura fragmenta temporibus superfuerunt. Quibus conferendis et tutius decernendi et iudicium nostrum argumentis idoneis stabiliendi copia erit.

§ 6.

Multa, non omnia, Livio congruenter refert Appianus. — Saepe igitur, non vero ubique, sua e Livio hausisse videtur.

Titi Livii nomen non apud Appianum legitur. Nihilominus eum haud plane ab Appiano neglectum esse credimus, quamvis non ubique adhibuerit. Nam consensum adeo magnum in belli socialis et Mariani enarratione observavimus, ut Appianum ibi Livium fontem secutum esse vel ex iisdem cum Livio auctoribus sua sumsisse arbitremur. Quem tamen consensum haud plane cognoscere sinit miserrima Livii librorum, illas res tractantium, iactura. Epitomarum igitur ope pauca modo vestigia indagari possunt. Similiter ab iis traduntur: Q. Servilii proconsulis caedes ab Asculanis, quae belli socialis ansa exstitit 1); Aeserniam a sociis captam esse 2); Nolam coloniam in potestatem sociorum venisse 3); L. Iul. Caesarem feliciter adversus hostes pugnavisse 4); quomodo Q. Caepio, Rutilii legatus, insidiis Pompaedii, hostium ducis, circumventus sit et fuso exercitu ceciderit 5); Romanos bello sociali primum libertos in militiam admisisse 6); Sullam sub belli finem Hirpinos domuisse, hinc Samnites aggressum et deinde ad consulatum petendum Romam profectum esse 7). Quemadmodum haec, quippe saepius a nullo alio scriptore relata, manifesto probant, Appianum non pauca

1) Liv. *ep.* 72. — Flor. III, 18. — App. 38. — Oros. V, 18, qui tamen perperam multos populos caedis auctores habet.

2) Liv. *ep.* 72, 73. — App. 41, qui tantum oppidi obsidionem memorat. — Cff. Oros. V, 18 et Freinsh. LXXIII, 51.

3) Liv. *ep.* 73. — App. 42. 4) Liv. *ep.* 73. — App. 42. — Oros. V, 18.

5) Liv. *ep.* 73. — App. 44. — Eutrop. V, 3.

6) Liv. *ep.* 74. — App. 49.

7) Sisenna *ap. Non.* v. protinus. — Diod. XXXVII, 2. — Liv. *ep.* 75. — Plut. *Sull.* 6. — App. 51. — (A. V.) *d. v. i.* 75.

e Livio traxisse, ita haec verisimilitudo augetur, si animadvertimus, illos quoque de ordine rerum 1) deque nomine belli inter se consentire, quod apud eos bellum sociale 2) audit, ab aliis vero bellum Marsicum 3) vel Italicum 4) dicitur.

In bello Mariano rerum ordo iterum idem est apud utrumque scriptorem. Multa insuper pariter a Livio commemorata fuisse atque ab Appiano, docent epitomae. Exempli loco haec sunto: Si Plutarchum audis, primis belli Mariani turbis ansam dedit lex Sulpicii de Mario duce belli Mithridatici designando 5). Livio contra assentiens Appianus turbarum illarum causam existimat Sulpicii legem de novis civibus iure suffragiorum veteribus aequandis et per 35 tribus distribuendis 6). Dein turbis illis sedatis sequitur demum apud eum lex de imperio Marii 7), et recte quidem teste Drumanno 8). Consentientes memorant, Cinnam postea legem de iure suffragii pollicitum esse 9) et Samnites hoc bello Marianis accessisse partibus 10). Apud Livium Marius eadem oppida devastat, quae eum cepisse scribit Appianus 11). Sub finem belli Cinnam II et Marium VII consules creatos esse ambo referunt 12), quum alii aut Marium 13), aut Cinnam 14) solum habeant. Copiose narrat Appianus, Carbonem et Cinnam metu Sullae contra inimicos adproperantis pecunias, milites, frumentum in usum belli imminentis comparavisse 15), quod Livii quoque epitome tangit 16).

1) Mecum facit Kiene, *der röm. Bundesgenossenkr.* p. 191: „die Erzählung des Appian reiht sich als eine weitere Ausführung an die Epitome des Livius."

2) Liv. *ep.* 71. — App. 34. — Flor. III, 18. — Oros. V, 18.

3) Diod. XXXVII, 1, 2. 4) Vell. Pat. II, 15. 5) Plut. *Sull.* 8.

6) Liv. *ep.* 77. — App. 55. — Absurda sunt quae Plutarchus hic narrat, Sulpicium nempe civitatem Romanam libertinis et inquilinis propalam venum dedisse pretiumque posita in foro mensa numerasse. — Cf. Kiene, p. 267, not. 2.

7) App. 56. — Cff. porro Val. Max. IX, 7, 1; Vell. Pat. II, 18; Flor. III, 21; (A. V.) *d. v. i.* 67; Eutrop. V, 4.

8) Drum., *Geschichte Roms* II, p. 437.

9) Liv. *ep.* 79. — Vell. II, 20. — App. 64. 10) Liv. *ep.* 80. — App. 68.

11) Liv. *ep.* 80. — App. 69. — Oros. V, 19.

12) Liv. *ep.* 80. — Vell. II, 23. — App. 75.

13) Plut. *Mar.* 45. — Flor. III, 21. — (A. V.) *d. v. i.* 67.

14) (A. V.) *d. v. i.* 69. — Oros. V, 19. — Cf. Drum. II, p. 588, not. 68.

15) App. 76. 16) Liv. *ep.* 83.

His exemplis freti, Livium Appiano fontem exstitisse coniicimus. Quum vero Livius quaedam hîc addat, illic praetermittat, verbo, non omnino Appiano consonet, simul videmus, non omnia ab Appiano e Livio collecta esse. Secundum Appianum Etrusci et Umbri, ad defectionem spectantes, lege lata de Italicis, quotquot in fide permansissent, civibus faciendis, sententiam mutant 1). Eos revera defecisse et caesos esse ait Livius 2). Sic Livius Sulpicium aliosque legatos Marsos 3), Appianus Cn. Pompeium 4), Marsos et Marrucinos cecidisse tradit. Livio auctore non solum Cosconius, sed Lucceius Samnites acie vicit, Mariumque Egnatium eorum ducem occidit 5). Sed Appianus, idem factum exponens, Lucceium omittit, Mario Egnatio Trebatium substituit eumque proelio superstitem fuisse tradit 6). Praeterea ex epitomis patet, Livium plura memorasse, de quibus Appianus plane silet: Ser. Sulpicium Galbam, a Lucanis comprehensum, unius feminae opera captivitate exemtum esse 7); proelium prosperum Sulpicii 8); Herii Asinii, Marrucinorum praetoris, mortem 9); Marsos, aliquot proeliis fractos, pacem petiisse 10); Sulpicium legem promulgasse de exsulibus revocandis 11); Samnites victoriam de A. Plautio reportasse 12), alia 13).

Quod ad cetera attinet, de quibus Appianus hoc libro agit, aut Livium Appiano in his describendis parvo usui fuisse censeo, aut epitomarum brevitas aliquid certi pronuntiare vetat 14). In Gracchorum certe vitis componendis Appianum alium sibi ducem quam Livium, viris illis iniquissimum 15), elegisse, probant cum laudes, quibus Appianus Gracchos passim ornat,

1) App. 49, 50. 2) Liv. *ep.* 74. — Cff. Flor. III, 18 et Oros. V, 18.
3) Liv. *ep.* 76. 4) App. 52. — Cf. Flor. III, 18.
5) Liv. *ep.* 75.
6) App. 52. — Cff. Drakenb. *ad Liv.* l. l.; Duk. *ad Flor.* III, 18; Schweigh. *ad App.* l. l.
7) Liv. *ep.* 72. 8) Liv. *ep.* 73. 9) Ibid. — Cf. App. 40.
10) Liv. *ep* 76. 11) Liv. *ep.* 77. — Cic. *ad Herenn.* II, 28.
12) Liv. *ep.* 80.
13) Liv. *ep.* 74, 75. — Cff. Plut. *Mar.* 33. *Sull.* 6. Oros. V, 18.
14) Hoc in primis obtinet in historia belli Sertoriani et Spartacii, ubi tamen quaedam discrimina cerni possunt.
15) Liv. *ep.* 58, 60, 61.

tum discrepantia 1), quae in eorum legibus recensendis inter utrumque scriptorem cernitur 2). Neque ad bellum Sullanum exponendum eundem Appiano multum profuisse putaverim. Pauca enim pariter narrant, quumque eadem semper fere eodem modo ab aliis commemorentur, hinc sequitur, Appianum ea e quovis alio haurire potuisse. Quae autem ambo congruenter tradunt, sunt v. c.: Sullae Brundusii exscendenti Cn. Pompeium cum tribus legionibus occurrisse 3); C. Marium iuniorem Praeneste obsessum esse a Lucretio Ofella, Sullanarum partium viro 4); famosam octo millium Samnitium caedem, Sullae iussu confectorum 5); Sullam eundem Ofellam interfecisse, quod contra novam legem consulatus candidatum se professus esset 6). Qui plura exempla vult conferat Appian. 90, 92, 100 cum Livii ep. 87, 88, 89; cum Plinio VIII, 57; cum Plut. Sull. 28, 29 et cum Eutrop. V, 8.

Verum paucis illis, quae haud diverse ab Appiano Livius narraverat, tot tantaque opponi possunt, ab utroque scriptore aliter exposita, ut ea e diversissimis fontibus profecta esse statuamus. Primum enim quaedam Appiani animum Sullae faventem, Livii vero ad Marii partes propensiorem animum, demonstrant 7). Tum easdem res tradentes, nihilominus in rerum

1) Vid. infra.

2) Nitzsch, *die Gracchen*, p. 448: „Im Ganzen steht doch, was uns von Livius überkommen, der Darstellung Plutarchs viel näher als der Appians" et saepius. — Lau, *die Gracchen*, p. 26.

3) Liv. *ep*. 85. — Diod. XXXVIII, 9. — Vell. Pat. II, 29. — Plut. *Pomp*. 6-8. — App. 80. — Dio Crass. fr. 133. — Zon. X, 1, quem Plutarchi et Dionis asseclam citare deinde supersedeam, quoties hos, quos tantum exscripsit, afferam.

4) Liv. *ep*. 88 (non 87, ut habet Drum. II, p. 462, not. 2 c.). — Vell. Pat. II, 27. — Plut. *Sull*. 29. — App. 88. — (A. V.) *d. v. i.* 68. — Oros. V, 21.

5) Liv. 88. — App. 93. — Alii aliter: Strabo V, p. 249 habet: 4 vel 5000 Samnites (perperam Drum. II, p. 467, n. 31: 3 vel 4000); Dionys. ed. Reiske, p. 1034 et Florus III, 21: 4000; Val. Max. IX, 2, 1: 4 legiones; Senec. *de clem*. I, 12: 7000; *de Benef*. V, 16: 2 legiones; Lucan. II, 201 nullum affert numerum; Plut. *Sull*. 30 dicit 6000; (A. V.) *d. v. i.* 75: 9000; Oros. V, 21: 3000. — Drumannus l. l. Senecae de clem., Aur. Vict. et Appiani testimonia ignorare videtur.

6) Liv. *ep*. 89. — Plut. *Sull*. 33; *compar. Lysandr. cum Sulla* 2. — App. 101. — Dio Cass. XXXVII, 10. — Interfector erat L. Bellienus, Ascon. *in tog. cand*. Ed. Orell., p. 92.

7) Vid. infra.

enarratione inter se discrepant. Ita differt responsum Sullae ad senatum, quod Livius affert, a verbis, quae Appianus eidem tribuit 8). Q. Metellum Pium inter bellum sociale et Sullanum in Africa versatum esse scribunt Livius 2) et Plutarchus 3), quum Appianus eum interim apud Ligures eventum rerum exspectasse dicat 4). Auctore Livio omnis nobilitas iubente C. Mario iuniore Romae trucidata est, e cuius numero Q. Mucius Scaevola pontifex maximus fugiens in vestibulo aedis Vestae est occisus 5). Si Appianum contra sequeris, Scaevola non longe a curia confossus est 6). Idem plura victimarum nomina affert 7).

Congruenter ambo referunt, C. Marium Praeneste in cuniculo quodam obiisse; sed Livius eum, quum frustra evadere captasset, ibi cum Pontio Telesino, fugae comite 8), stricto utrimque gladio concurrisse ait, quem quum occidisset, ipsum sancium a servo caesum esse 9). Apud Appianum e contrario Marius se in fossam illam abdit sibique ipse manus infert.

Tertio loco animadvertendum, quod gravissimum est, Appianum plura ita commemorare, ut omnino cum Livio pu-

1) Liv. *ep.* 84. — App. 79, ubi Drum. II, p. 456 annotat: „In diese Antwort hat Appian hineingetragen, was nicht darin liegt, eine Ankündigung seiner Herrschaft."

2) Liv. *ep.* 84. 3) Plut. *Crass.* 6.

4) App. 80. — Teste Dione fr. 132 Metellus interea in Graecia degit. Sed cff. Schweigh. *ad App.* l. l. et Drum. II, p. 585, n. 43.

5) Liv. *ep.* 86. Ita etiam Cic. *Brut.* 90, *de Orat.* III, 3, *de Nat. Deor.* III, 32. Diod. XXXVIII, 17. Lucan. II, 126. Flor. III, 21.

6) App. 88.

7) App. l. l. Vidd. praeterea Cic. *Brut.* 90, *ad Fam.* IX, 21. Vell. Pat. II, 26. Valer. Max. IX, 2, 3. Plut. *Pomp.* 9. Oros. V, 20.

8) Pontius Telesinus hic est frater iunior Pontii clarioris. — Cff. Duker *ad Liv. ep.* 86 et Drakenb. *ad Liv. ep.* 88.

9) Liv. *ep.* 88. — Marium a servo interfectum esse affirmant etiam Diodorus XXXVIII, 15, Valer. Maximus VI, 8, 2 (non VI, 6, 2, ut habet Drum. II, 468, n. 40) et Oros. V, 21; sed Valerius et Orosius addunt, eum primum a Telesino vulneratum esse. (A. V.) *d. v. i.* 68 eum se Telesino iugulandum praebuisse ait. — Appiano assentitur Plutarchus *Sull.* 32, *Mar.* 46. Cff. porro Strabo V, p. 239 et Eutrop. V, 8. — Varias variorum sententias laudat Velleius Pat. II, 27, sed nihil decernit. Haud accuratissime de hisce exposuit Hazenberg, *de Caio Mario, Caii Mar. filio* p. 62, 63.

gnet, cuius rei unum afferam exemplum. Trium proeliorum, quibus Sulla deinceps cum hoste dimicavit, alius est ordo apud Livium 1) et Velleium 2), alius apud Appianum 3). Ab illis sic enumerantur: ad Clusium, ad Faventiam, ad Fidèntiam. Sed Appianus ea hoc ordine exponit: ad Faventiam, ad Placentiam, quod idem est atque „ad Fidentiam" 4), ad Clusium. Postremam pugnam Livius et Velleius confundere videntur cum alia priore pugna apud Clusium, quam Appianus solus commemorat 5). Quae vero illi de exitu pugnae ad Clusium tradunt, modo in alteram ab Appiano memoratam pugnam apud Clusium quadrant. Quamnam igitur pugnam apud Clusium voluerint, nescio 6). Quidquid rei est, Appianus hîc omnium accuratissime egisse videtur. Recte enim tria illa proelia post pugnam ad Sacriportum 7) commissa esse refert, quum Velleius ea prius ponat 8), quemadmodum Plutarchus de proelio apud Fidentiam fecit 9). Ceterum in numeris quoque scriptorum dissensio observatur 10). Prorsus vero discrepat historia belli civilis sub Lepido gesti. Nam etsi non longe a campo conflictum esse 11) haud negat Livius, id tamen non diserte dicit, verbo alia habet alius 12).

Denique addo, Livium quaedam memorare, Appiano ignota, uti M. Brutum, a Carbone missum, Pompeii navibus circumventum, mortuum esse 13); Sullam Nolam ac Volaterras recepisse 14) aliaque 15).

1) Liv. *ep.* 88. 2) Vell. Pat. II, 28. 3) App. 91, 92.
4) Schweigh. *ad. App.* 92. 5) App. 89.
6) Cf. Drakenb. *ad Liv.* l. l.
7) App. 87. Consentiunt Liv. *ep.* 87 et Oros. V, 20.
8) Vell. Pat. l. l.
9) Plut. *Sull.* 27. — Cff. Freinsh. LXXXVIII, 1 et Drum. II, p. 465, not. 12, 16.
10) Plut., App. et Oros. l. l.
11) Plut. *Pomp.* 16. — App. 107. — Flor. III, 23.
12) Liv. *ep.* 90. — App. l. l. 13) Liv. *ep.* 89.
14) Liv. l. l. — Cf. Cic. *pro domo* 30. 15) Liv. *ep.* 84, 86.

§ 7.

Appianum quid e Frontino, e Cicerone, e Velleio Paterculo deprompsisse negamus.

Non est, quod miraremur, si compertum haberemus, Livii libros locupletissimos duces praecipuos Appiani fuisse. Quales Appianum sibi nequaquam elegisse tres illos scriptores, ad quos temporum ratione nunc deferimur, Frontinum, Ciceronem, Velleium Paterculum, nulla dum disquisitione instituta iam praesentire licet. E nullo enim eorum perpetua historia temporum illorum, quos describit Appianus, colligi potuit. Quapropter unice indagandum, quatenus Appianus fortasse unum alterumve ex iis inspexerit. Constat autem, Frontinum opus, Strategematicôn titulo insignitum 1), compegisse, quod bellorum civilium rationem habet. Hunc librum, quem neque Plutarchus adhibuit, ab Appiano usurpatum esse negamus. Nam et Frontini nomen, et vero strategemata, ab eo descripta, silentio ubique praetermittit Appianus, etiamsi easdem res gestas ac Frontinus memoret. Insuper Frontinus res tradit, Appiano plane incognitas. Sic Appianus tacet, quo dolo Lamponius L. Crassum in Grumentum oppidum compulerit 2); qua fraude Sulla in Samnium bellum transtulerit 3); quomodo Sertorius inspectante Pompeio Lauronem urbem diruerit 4), quod a Plutarcho 5) quoque copiose narratur; quî Spartacus astu Varinio elapsus sit 6). Ne ipsas quidem pugnas, a Frontino literis mandatas, refert Appianus, v. c. Metelli victoriam bello Sertoriano apud Baeticam ab Hirtuleio reportatam ac proelium, ubi Hirtuleius caesus est 7). Hinc simul corroboratur argumentatio nostra, qua ostendere conati sumus, Appianum Livio non assidue usum esse 8). Exstat enim fragmentum quoddam

1) Bähr II, p. 499. 2) Front. II, 4, 16 et IV, 7, 41. — Cf. App. 41.
3) Front. I, 5. — Cf. App. 51.
4) Front. II, 5, 31. — Cf. App. 109.
5) Plut. *Sert.* 18; *Pomp.* 18. — Cff. Flor. III, 21; Oros. V, 23.
6) Front. I, 5, 22. — Cf. App. 117. 7) Front. II, 1, 2 et 3, 5.
8) Vid. supra p. 14 sq.

Livii libri nonagesimi primi, in quo et proelia illa narrantur, et Sertorius Contrebiam expugnasse traditur 1).

Ciceronis libros ad historiam bellorum civilium recte cognoscendam Appiano plura memorabilia praebituros fuisse, nemo facile infitias ibit. Nobis vero hanc in rem inquirentibus apparuit, Appianum fere nusquam ea referre, quae Cicero summatim attigit vel uberius tradidit, ideoque a Cicerone eum pependisse prorsus negamus. Hinc tamen nemo concludat, eum numquam aliquid Ciceroni convenienter narrare. Quod vero statuimus exemplorum copia permagna illustrari possit, sed pauca tantum afferemus, quibus pateat, Appianum cum Cicerone haud consentire. Plura de Appuleii seditione, in oratione pro Rabirio et alibi obvia 2), non leguntur apud Appianum 3), uti ea, quae Cicero habet super lege de maiestate 4). Legem Variam de maiestate, ut Cicero 5), ita Appianus 6) commemorat, sed hic ignorat, quod ille retulit, Livium Drusum a Vario Hybrida interfectum 7) eiusque leges statim abrogatas esse 8).

Tertius, de quo hîc loquendum, est Velleius Paterculus, qui licet ob suam brevitatem Appiano haud omnia suppeditare posset, ei tamen multa scitu dignissima offerebat. Quem vero Appianus non minus quam Plutarchus neglexisse videtur. Nam paucissima congruenter enarrata apud eos invenias, perplura contra varie tradita. Ad illa refero locos, ubi P. Cato Marsis bel-

1) *Fragm. Liv. libri* 91 ed. Ernesti, p. 23 sq. — Vidd. etiam Liv. *ep.* 91; Florus III, 22; (A. V.) *d. v. i.* 63; Oros. V, 23.

2) Locos citat Drum. II, p. 39. 3) App. 28-32.

4) Cic. *de Orat.* II, 25, 48, 49. — Cf. Drum. II, p. 287.

5) Locos vide ap. Freinsh. LXXI, 37-42. — Cff. Val. Max. VIII, 6, 4; Ascon. *in Scaur.* ed. Orell., p. 22; *in Corn.*, p. 79; Quinctil. V, 12, 10; (A. V.) *d. v. i.* 72. 6) App. 37.

7) Cic. *de Nat. Deor.* III, 33. — Varii rumores iam apud veteres de Druci nece sparsi erant. Seneca *de brev. vit.* c. 6: „disputatur, an ipse sibi manus intulerit: subito enim vulnere per inguen accepto collapsus est.“ Alia habet Plin. *Hist. Nat.* XXV, 15 et XXVIII, 9. Ampelius c. 19 Drusum a Philippo occisum esse affirmat. Neminem caedis accusant Vell. Pat. II, 14, App. 36 et (A. V.) *d. v. i.* 66. — Cf. Kortüm, p. 224, not. 581: „Nach Appian's unwahrscheinlichem Bericht befand sich der Mörder unter den Bundesgenossen.“

8) Cic. *de leg.* II, 6 et 12; *pro domo* 16. — Cf. Ascon. in *Cornel.* ed. Orell., p. 68.

lum inferens occisus esse dicitur 1) ubique Q. Pompeius ab exercitu Cn. Pompeii proconsulis seditione, quam ipse dux exciverit, interfectus esse fertur 2). Sed haec parvi momenti sunt iisque obstant tot alii loci tamque graves, ut Velleium ab Appiano neglectum haud temere credamus. Gracchorum incepta quum acerbissime diiudicet Velleius, hoc nobis argumentum satis tutum videtur, cur putemus, Appianum eius opus ibi saltem haud adiisse 3). Appianus tempore belli socialis senatum plures Italiae populos cives Romanos fecisse 4) ait, eos autem non in triginta quinque tribus, quae tunc essent, receptos, sed in decem novas distributos esse 5). Qua in re falli Appianum, viri docti affirmant 6). Velleius contra refert, civitatem Italiae ita datam esse, ut in octo tribus contribuerentur novi cives 7). Primum igitur hic numero ab Appiano differt, tum novas tribus intelligendas esse haud innuit 8). En aliud exemplum e bello Mariano sumtum: Cinnam Roma relicta exercitum, qui secundum Velleium circa Nolam 9), teste vero Appiano Capuae 10) esset, sibi conciliasse. Similiter hic assentientibus aliis scriptoribus 11) refert, Pompeium, Magni patrem, fulmine ictum periisse 12), quum Velleius ostendere videatur 13), eum mortuum esse pestilentia, et suum et hostium exercitum lacerante 14). Qua in re tamen Orosium habet dissentientem, quippe qui de exercitu pestilentia correpto ei quidem assentiatur, sed Pompeium fulmine afflatum interiisse

1) Vell. Pat. II, 16. — App. 50. — Eutrop. V, 3. — Solus Orosius V, 18 caedem C. Mario filio tribuit.

2) Liv. *ep.* 77. — Val. Max. IX, 7, milit. 2. — Vell. II, 20. — App. 63.

3) Cff. Nitzsch, p. 448; Lau, p. 22 sq.

4) Cff. Sisenna *ap. Non.* v. iusso; A. Gell., *Noct. Att.* IV, 4; Cic. *pro Balbo* 8.

5) App. 49.

6) Göttling, p. 441. — v. Kobbe II, p. 130. — Peter, *Zeittaf.*, p. 143, not. *l.* — Walter I, p. 307. — Kiene, p. 219. — Cff. tamen Nieb. *Vortr.* II, p. 353, 354 et Mommsen, *die röm. trib.*, p. 11, qui aliam interpretandi viam inierunt, de qua vid. Kiene, p. 343.

7) Vell. Pat. II, 20.

8) Cf. Kiene, p. 215, 220 sq.

9) Vell. Pat. II, 20, quem sequitur Nieb. *Vortr.* II, p. 367.

10) App. 65, quem sequitur Hoeck I, p. 64.

11) Plut. *Pomp.* 1. — Jul. Obs. c. 116.

12) App. 68.

13) Cf. Drum. IV, p. 323, not. 49.

14) Vell. Pat. II, 21.

affirmet 1). Eiusmodi exempla reperias, ubi ambo scriptores de Drusi morte 2) deque Merula magistratu amoto 3) agunt. Scriptorum eorundem discrepantia tandem cernitur in loco de proelio apud portam Collinam, auctore Orosio 4), quem Freinshemius 5) perperam sequitur, inter Pompeium et Sertorium, secundum Livium ac Velleium 6) contra, Cinnam inter et Pompeium commisso. Hos ad portam Collinam castra posuisse dixerat quidem Appianus 7), sed eos pugnavisse nullo modo tradit.

Accedit denique, quod in Velleii opere, licet brevissimo, nonnulla leguntur, quae frustra apud Appianum quaeras. Huc pertinent sequentia: bellum Marsicum amplius trecenta milia Italicae inventutis abstulisse 8); Minatii Magi, Velleii atavi, facinora 9) ducemque quendam, nomine Fontemium 10), hoc bello Romanorum copiis praefuisse.

§ 8.

Neque Diodorus Siculus, neque Valerius Maximus Appiano fontis loco exstitisse videtur. — Ex Appiani consensu cum Floro efficitur, eum Livio quaedam accepta referre.

Ultimi scriptores, quos Appianus in auxilium advocare potuit, sunt: Diodorus Siculus, Valerius Maximus, Plutarchus, Florus. Primum pauca de duobus prioribus et de Floro, tum plura de Plutarcho nobis dicenda supersunt. Diodori fragmenta hanc materiam spectantia tam pauca sunt, ut nemo, qui ea contulerit, eorum ope facile concludat, Appianum sua pro parte ex eo deprompsisse. Quod quum certe valeat de reliquis bellis civilibus, paulo ampliora fragmenta de bello sociali servavit tempus. Si igitur respicimus ad priores reliquias illas exiles 11)

1) Oros. V, 19. 2) Vell. Pat. II, 14. — App. 36. — Vid. supra p.19.
3) Diod. XXXVIII, 3. — Vell. Pat. II, 22. — App. 70.
4) Oros. V, 19. 5) Freinsh. LXXIX, 26.
6) Liv. *ep.* 79. — Vell. Pat. II, 21. 7) App. 67.
8) Vell. II, 15. — Hos 300,000 homines ad socios referunt Hoeck I, p.57 et Nieb. *Vortr.* II, p.353, sed de Romanis simul intelligit Riedel, IV, p.50.
9) Vell. Pat. II, 16. — Sall. *ap. Gell.* II, 27.
10) Vell. Pat. II, 15. — Cf. Cic. *pro Font.* 15.
11) Diod. XXXIV, 6, 7, 24, 26, 27, 29; XXXVII, 9.

de Gracchis in primis agentes, nobis non verisimile videtur, Appianum ad Diodorum, animum infestissimum in Gracchos prodentem 1), recurrisse. Quae sententia me iudice comprobatur, si hoc addidero, fragmenta etiam belli socialis nihil fere exhibere, quod ab Appiano tradatur. Praetermittit enim hic, quod memorat Diodorus: iusiurandum illud celebre, ὅρκον Φιλίππου appellatum 2) atque primam belli Marsici causam, nimirum quod Romani a frugali vivendi ratione ad perditum luxus studium desciverint 3). Silet porro de senatu quingentorum virorum a sociis constituto deque eorum consulibus 4). Ne obiter quidem tangit narrationem de Pinnensium constantia 5), nec de Agamemnonis cuiusdam Cilicis fatis gestisque 6). Haudquaquam novisse videtur, Corfinio deserto socios Aeserniam sedes transtulisse Pompaediumque novum exercitum contraxisse 7). Verbo, nihil ferme similiter narratum comperias, nisi forte Servilii rationem agendi erga Asculanos 8). At, dicat quis, quomodo fieri potest, ut Appianus tantopere cum Diodoro discrepet, quum vero simile sit, utrumque sua e Posidonio deprehendisse 9)? Respondeo, Posidonium tam copiosum fuisse, ut alius alia ex eo desumere potuerit, et nos Diodori fragmentorum paucitate impediri, quominus decernamus, quatenus Appianus alibi fortasse cum Diodoro consenserit.

Diodoro addatur Valerius Maximus. E quo Appianus in tanta huius scriptoris brevitate multa desumere nequit. Quaecunque autem cum eo congruentia exposuit ex iisdem atque ille scriptis excerpsisse, ipsum vero Valerium non adiisse, censendus est. Nos certe incidimus in quaedam, a Valerio quidem narrata, ab Appiano vero praetermissa, v. c. in narratiunculam de inimicitia Livium Drusum inter Philippumque consulem 10).

Idem dicendum de Floro. Quis enim credat, Appianum,

1) Diod. XXXIV, 25.
2) Diod. XXXVII, 11. — Cff. Nieb. *Vortr.* II, p. 345 et Kortüm, p. 223, not. 580. 3) Diod. XXXVII, 2.
4) Diod. l. l. — Cf. Vell. Pat. II, 16. 5) Diod. XXXVII, 20
6) Ibid. 19. 7) Diod. XXXVII, 2. 8) Diod. XXXVII, 13. — App. 38.
9) Heyne, *de font. et auctorit. Diodori* in Comm. Gott. VII, p. 119. — Schoell II, p. 372. — Vid. supra p. 11.
10) Val. Max. IX, 5, 2. — Flor. III, 17. — (A. V.) *d. v. i.* 66.

siquidem, quod ob temporum rationem fieri potuerit 1), eum cognoverit, ex illius epitome rerum Romanarum multa in suum usum convertisse? Sed e consensu, quem inter Florum atque Appianum passim exstare animadverti, potius efficio, Appianum nonnulla mutuatum esse a Livio, quem Florus, nisi unicum, saltem primarium 2) ducem sibi elegisse constat. Ita alia via rursus ad eundem locum, quo supra 3) pervenimus, deducimur. Sed quaerat quis exemplum illius consensus Appiani cum Floro. Etsi plura aliud agentes indicavimus aliaque praeterea nobis occurrent, novum argumentum haud gravatim adiicio. De morte enim Appuleii Saturnini, varie a variis tradita 4), Florus et Appianus consentientes memorant, illum capitolio occupato, quum abruptis fistulis obsideretur senatuique poenitentiae fidem faceret, ab arce degressum cum ducibus factionis in curiam receptum esse populumque facta irruptione eos iniectis tegulis interemisse 5).

§ 9.

Omnia fere aliter ab Appiano quam a Plutarcho narrata esse probatur illumque igitur materiam suam nequaquam ex hoc collegisse statuitur.

Nobis Plutarchum cum Appiano conferentibus magni momenti esse videbatur quaestio, num hic illo usus sit. Nam et gravissima virorum doctorum hac de re certamina animo obversabantur, et nobiscum reputabamus, hanc quaestionem ideo graviorem esse, quod Plutarchus solus sit e scriptoribus superstitibus, qui plurima ad bella civilia pertinentia tam copiose descripserit, ut Appianus eum saepissime usurpare potuisset. Quod vero dicentes simul profitemur, Appuleii seditionem atque bellum Marsicum, ut cuique notissimum est, tanto uberius ab Appiano descripta esse, ut hîc de Plutarcho fonte prorsus cogitari

1) Nam plurimorum virorum doctorum auctoritate Florus sive Hadriani, sive potius Traiani erat aequalis. Cff. Bähr II, p. 165.; Nieb. *Vortr.* I, p. 58.
2) Bähr II, p. 167. — Nieb. l. l. 3) Vid. supra p. 12 sq.
4) Cic. *pro Rab.* 10. — Vell. Pat. II, 12. — Plut. *Mar.* 30. — (A. V.) *d. v. i.* 73. — Oros. V, 17. 5) Flor. III, 16. — App. 32.

nequeat. In reliquis quidem res aliter sese habet; sed nos accuratissime in vestigia similitudinis inquirentes fateri cogimur, omnia ubique prorsus aliter ab Appiano quam a Plutarcho relata esse eosque ferme de nulla re consentire. Ubi Plutarchus copiosus invenitur, Appianus exilis est; ubi ille nomina et numeros affert, hic talia praetermittit; cui ille favet, eidem hic iniquus reperitur. Quae affirmanti mihi etsi nemo forte fidem negaverit, praestat tamen lectoribus ipsos scriptorum locos ante oculos ponere, ut ipsi videant atque diiudicent.

Prius vero afferamus nonnullos locos, quibus Appianum Plutarcho omnino consonare deprehendimus. Congruenter igitur ambo narrant, Pompeium tempore tumultus Sulpicii Roma fügisse 1); Sullam sex legiones Romam versus duxisse 2); Sulpicium deprehensum occisumque esse 3); Cinnam magistratu amotum subrogatumque in locum eius Merulam 4); senatum legatos de pace ad Cinnam misisse huiusque responsum 5); Sullae uxorem ac liberos aegre Roma evasisse 6). Sed eiusmodi exempla perpauca sunt et saepissime de rebus minoris momenti agunt. Hisce opponatur, omnes res gravissimas adeo dissimiliter ab utroque expositas esse, ut scriptores eas e diversissimis auctoribus petivisse censendi sint. Ne exempla requiratis, afferam historiam Gracchorum. Ibi Appianus contextus tantum illius magni incepti rationem habet respicitque cum ad causas, quae eos commoverint, tum ad eas, quibus adversarii ad resistendum impellerentur 7). Plutarchus contra eos nullo consilio egisse censet atque alia lege ad aliam ferendam protrusos esse. Quamquam porro in priore parte Tiberii vitae proprie haud dissentit ab Appiano, tamen subinde alia tradit, aut res aliter proponit. Plutarchea igitur historia usque ad postrema illa Tiberii comitia nobis, ut ita

1) Plut. *Sull.* 8; *Mar.* 35. — App. 56.
2) Plut. *Sull* 9. — App. 57.
3) Plut. *Sull.* 10. — App. 60. — Cff. Cic. *de Orat.* III, 3; *Brut.* 89; *ad Herenn.* I, 15. — Fusius idem persequuntur Liv. *ep.* 77; Vell. Pat. II, 19; Val. Max. VI, 5, 7; Oros. V, 19.
4) Plut. *Mar.* 41. — App. 65. 5) Plut. *Mar.* 43. — App. 70.
6) Plut. *Sull.* 13, 22. — App. 73. — Eutrop. V, 7.
7) Cff. Nitzsch, p. 438; Lau, p. 15, 16.

dicam, easdem res ab alia parte quam Appianus conspiciendas praebet 1). Sed inde a postremis illis comitiis et per totam Caii vitae enarrationem alter scriptor adeo ab altero differt, ut comparatio inter eos institui nequeat 2). Appianum legens dicas, te testem oculatum democratiae faventem audire; in Plutarcho vero aristocratiae propugnatorem te agnoscere putaveris 3). Omnia, etiam ordo legum, indicant, eos diversissimos sequi auctores. Alios quam qui nobis remanserint fontes eos habuisse utriusque ubertate probatur. Quinam hi fuerint investigare, nihil iuvat 4).

In Gracchorum vitis ab exemplis ex utroque scriptore citandis abstineo, quia haec tam perspicue in Nitzschii opere exstant, ut quemque conatum idem melius faciendi irritum reddant. Sed e ceteris quaedam afferam. Marium seniorem vita defunctum esse, ut alii 5), ita Appianus 6) simpliciter refert. Plutarchus vero varias de eius morte sententias affert dicitque, eum auctore Posidonio lateris dolore obiisse, sed teste C. Pisone 7) sibimet ipsum mortem conscivisse 8), quod scriptor de viris illustribus etiam tradit 9). In pugnarum porro descriptione discrimen maximum adest. Pugnam apud Sacriportum exponens Plutarchus ait, Marium quinque et octoginta cohortes habuisse; Dolabellam cum Sulla copiis praefuisse; Sullanos primum lassitudine fuisse confectos; Marium teste Fenestella non pugnavisse, sed se quieti tradidisse; e Sullanis paucissimos, e Marianis contra plurimos fuisse desideratos 10). Quae omnia praetermittens Appianus partem Marianorum ad Sullam transiisse scribit, et hac de re sola cum Plutarcho congruens, Marium fune Praeneste in moenia subductum esse 11).

1) Cff. Nitzsch, p. 438; Lau, p. 8.
2) Nitzsch, p. 439, 443, 444. Lau, p. 17 sq.
3) Nitzsch, p. 443. 4) Nitzsch, p. 442; Lau, p. 15.
5) Cic. *de Nat. Deor.* III, 32. — Liv. *ep.* 80. — Vell. Pat. II, 23. — Flor. III, 21. — Oros. V, 19. 6) App. 75.
7) Quis ille Piso sit, difficile dictu est. Cf. Kiene, p. 305, not.
8) Plut. *Mar.* 45. 9) (A. V.) *d. v. i.* 67.
10) Plut. *Sull.* 28. — De numeris illis vid. supra p. 8. et cff. Flor. III, 21, Eutrop. V, 8; Oros. V, 10. 11) App. 87.

Eodem modo in describenda pugna apud portam Collinam de App. Claudio a Sulla oppresso, de tumultu in urbe, de Dolabella et Torquato apud Sullam instantibus, ne pugnaret, de Sullae albo equo insidentis periculo fuse disserit Plutarchus 1), tacet Appianus. Idem e ducibus Marianorum nullos quam Telesinum et Lamponium excitat, quum Appianus plures habeat, et numeros caesorum ac captivorum afferat, et historiolam de cataracta demissa narret 2). Ambo consentienter tradunt, Sullam equites praemisisse, quorum dux Balbus apud Plutarchum tantum occurrit, qui et hîc et in Crassi vita 3) Crassum dextro Sullae cornu praefuisse ait, quod Appianus praetermittit 4). Talia discrimina etiam animadvertuntur in narratione pugnarum apud Capuam 5), apud Sucronem 6), apud Saguntum 7) aliarumque.

Alterum; e quo discrepantia summa inter Plutarchum et Appianum elucet, est quod, etiamsi idem narrent, semper tamen aliquid aliter ab hoc quam ab illo exponitur. Ne exempla requiras, inspice seriem victimarum proscriptionibus Marii Cinnaeque caesarum. Consentiunt quidem ambo de fatis Crassi patris et filii 8), Antonii rhetoris 9), L. Catuli 10), Ancharii 11); sed Plutarchus silet de C. et I. Caesare, de Atilio Serrano

1) Plut. *Sull* 29. 2) App. 93.

3) Plut. *Crass.* 6 ed. Bryan., ubi in versione Latina vox „dextrum" in „laevum" corrigatur.

4) Obiter moneo, Freinshemium, uti saepius, locos Flori (III, 21), Eutropii (V, 8), (A. V.) *d. v. i.* 75 omisisse, et Drumannum II, p. 466, not. 18 perperam credere, Orosium V, 20 scribere, 80,000 militum *adfuisse*, quum 80,000 *cecidisse* diserte dicat. Idem (II, p. 467, not. 26) porro fallitur putans, Orosium 11,000 pro 12,000 captivis afferre, neque ex Appiano cognovisse videtur, Telesinum in proelio obiisse, quum Velleii (II, 27) alia habentis testimonium unice memoret. Num denique Drumannus II, p. 467, not. 285 secundum Sall. *B. C.* 51 et Dion. fr. 135 recte affirmet, Damasippum in pugna ipsa cecidisse, dubitaverim.

5) Plut. *Sull.* 27. — App. 84. — Vell. Pat. II, 25 perperam quae Scipioni acciderunt huc trahit. 6) Plut. *Sert.* 19. — App. 110.

7) Plut. *Sert.* 21. — App. 110. — Freinshem. XCII, 12 non vidit, Livium *ep.* 92 hîc eandem pugnam intelligere ac ceteros scriptores, cf. Peter, *Zeittaf.*, p. 154, not. 10. — De loco pugnae cf. Drum. IV, p. 368, not. 65.

8) Plut. *Crass.* 4. — App. 72.

9) Plut. *Mar.* 44, qui tamen nomen interfectoris, Annii, addit. — Cf. Val. Max. IX, 2, 2; Plut. *Ant.* 1; App. l. l.

10) Plut. *Mar.* 44. — App. l. l. 11) Plut. *Mar.* 43. — App. 73.

aliisque 1), in primis de Merulae morte 2), quum ambo rursus Cornuti dolo servorum liberati 3) sed Plutarchus solus Licinii necati meminerit 4). Eiusmodi quid innumeris videas locis, v. c. ubi scriptores agunt de legatis Sullae, ex urbe obviam missis 5), de servis ad libertatem vocatis 6), de Marii reditu 7), de Sullae morte 8), de Sertorii cerva 9), de initiis belli Spartacii 10) deque tot aliis. Talia unum fontem, quem ambo scriptores adierint, sapiunt quidem, sed simul probant, alterum alterum nullo modo exscripsisse.

Tertium argumentum, quod multum apud me valet, est quod Plutarchus plura narrat, de quibus Appianus ne verbo quidem mentionem facit. Huc refero: populum duobus candidatis Sullae commendatione subnixis ignominiose repulsis alios designavisse consules 11); Metelli Pii imperitiam belli 12); pugnas, quibus Varinii legatos cecidit Spartacus 13); clades, Germanis ad Spartaci copias pertinentibus a Crasso illatas 14), alia. Mihi igitur persuasissimum est, Appianum libro primo Plutarchi vitas haudquaquam ante oculos habuisse.

1) App. 72. — Cff. Cic. *de Orat.* III, 3; *Brut.* 89; *Tusc. Quaest.* V, 19; Liv, *ep.* 80; Val. Max. IX, 2, 2; Lucan. II, 119; Flor. III, 21.

2) App. 74. — Cff. Vell. II, 22; Val. Max. IX, 12, 5; Tac. *Ann.* III, 58; Flor. III, 21; Dio Cass. LIV, 36; Rualdi, *Animadv. in Plut.* 18.

3) Plut. *Mar.* 43. — App. 73. — Hoc practermittit Freinsh. LXXX.

4) Plut. *Mar.* 45. — Quod Freinsh. l. l. practermittit. — De re cff. Drakenb. ad *Liv. ep.* 80 et Reim. *ad Dion.* p. 48, § 164.

5) Plut. *Sull.* 9. — App. 57. 6) Plut. *Mar.* 53. — App. 58.

7) Plut. *Mar.* 43; *Sert.* 5. — App. 67. — Rursus aliter idem exponitur apud scriptores sequentes: Liv. *ep.* 79; Vell. Pat. II, 20; Flor. III, 21; Dio Cass. fr. 119; (A. V.) *d. v. i.* 69.

8) Plut. *Sull.* 36, cui assentitur Plin. VII, 42. — App. 105. — Cf. Ramshorn, p. 36, not. 135.

9) Plut. *Sert.* 20. — App. 110. — Cff. Val. Max. I, 2, 4; Front. I, 11, 13; Gell. XV, 22.

10) Plut. *Crass.* 9. — App. 116. 11) Plut. *Sull.* 10. — Cf. Dio fr. 117.

12) Plut. *Sert.* 13, 18, 19, 21, 22; *Pomp* 17, 18.

13) Plut. *Crass.* 9. — Cff. Liv. *ep.* 96; Flor. III, 20; Oros. V, 24. — Vid. Drum. IV, p. 78, not. 95.

14) Plut. *Crass.* 11. — Cff. Front. II, 4, 7; Sall. *Hist.* ed. Gerl. p 242. Oros. V, 24.

§ 10.

Quid de Appiani libri primi fontium constet, breviter iteratur.

Sed his perlectis merito quaesiverit quis, e quibusnam tandem scriptoribus Appianum sua desumsisse equidem credam. Apparuit enim, omnia fere eo ducere, ut putem, eum plurimos ex iis, quos laudavi, non contulisse. Cui id roganti nihil quod respondeam habeo, nisi illud. Verisimile esse indicavi, Appianum Rutilium, Posidonium, Livium usurpasse. Ceteros ab eo neglectos esse, haud perhibui, sed de his, num eos adhibuerit, non liquere ostendi. Itaque concludo, maiorem partem operum, e quibus Appianus sua hausit, interiisse. Si quis igitur dixerit, me Appiani librum primum non ad suos retulisse auctores, me assentientem habebit, sed ne obliviscatur quaeso, id saltem nos cognovisse, quosnam fontes fortasse, quosnam non adierit, et plura hactenus praestari non posse. Ceterum assidua huius libri lectio mihi persuasit, Appiano plus placuisse, unum scriptorem de re quadam satis copiose exponentem sequi, quam sua e multis, ex alio alia, tanquam stipem colligere. Eum tamen narrationem e praecipuo illo duce petitam nonnunquam aliis quibusdam ex aliis auctoribus haustis adspersisse, propterea haud infitias ibo.

CAPUT II.

§ 1.

Investigatur, quosnam scriptores Appianus libro secundo adhibere potuerit. — Num Oppium, Hirtium, Balbum secutus sit, diiudicare non licet. — Asinio Pollione usus est.

Quid Appianus secundo bellorum civilium libro comprehendat, ipse sic declarat: Sullae dominationem quaeque post eam Sertorii Perpernaeque ductu in Hispania gesta sunt similes alii civiles motus sunt secuti, qui in bellum tandem apertum inter C. Caesarem et Pompeium Magnum eruperunt, quo confecto Pompeium Caesar sustulit, Caesar, quod pro rege se gereret, in ipso senatu est trucidatus. Quaerentibus vero, e quibus fontibus sua hauserit scriptor, hic fere nihil respondet. Citat quidem Varronis *Τρικάρανον* 1), Pompeii epistolam ad senatum 2), Caesaris literas ad eundem aliasque 3), Asinium Pollionem, Caesaris Anticatonem 4) et eiusdem commentarios 5), sed quid pauca illa nomina pro testium numero, qui afferri poterant, proque rerum gravitate et copia! Praeterea omnia illa opera non ita citat, ut se ea adhibuisse profiteatur. Quemadmodum enim monstrum triceps a Varrone scriptum esse obiter tantum ait, ita post Caesaris necem commentarios in aedes Antonii translatos esse, modo narrat. Restant igitur nulla alia scripta, nisi Pompeii et Caesaris epistolae atque Asinii Pollionis libri, quos sibi fontes exstitisse affirmat Appianus. Provocat porro ad rumores 6); facit mentionem de sepulcro Pompeii 7)

1) App. *Bell. Civ.* II, 9. — Cf. Schweigh. *Exercit.* in Opusc. Acad. pars. post. p. 66, 67. 2) App. 28.
3) App. 32, 79. — Cf. Schweigh. III, p. 763 et 764.
4) App. 99. 5) App. 125.
6) App. 20, 30. 7) App. 86.

ac de aede Veneris genitricis 1); quae in senatu acta sint refert 2); orationes Antonii Brutique laudat 3). Atqui unde profecta sint quae narrat, ne sic quidem satis cognoscimus. Ad conferendos igitur scriptores, qui easdem res tractarint quique nobis remanserint, denuo confugiendum est; sed prius videndum, quosnam scriptores de rebus illis egisse constet. Hi autem sunt: Oppius, Hirtius, Balbus, Asinius Pollio, Bibulus, Curiones, Cn. Dolabella, M. Brutus, C. Memmius, Tanusius Geminus, Actorius Naso, Ampius, Tubero, Corn. Nepos, Munatius Rufus, Empylus, Theophanes, Antonius, Tiro, Fenestella, Octavius, Diodorus, Livius. Quorum scriptorum opera aut omnino, aut maxima ex parte perierunt. Ex iis vero, qui hodie exstant, eadem tempora complexi sunt Frontinus, Cicero, Sallustius, Caesar, scriptor belli Alexandrini, belli Africani et belli Hispaniensis, Velleius Paterculus, Valerius Maximus, Asconius, Lucanus, Suetonius, Plutarchus, Florus. Iam de singulis videamus.

Oppium, Hirtium, Corn. Balbum, Asinium Pollionem ad scriptores, qui a Caesaris partibus stabant, pertinere notissimum est. C. Oppius, uti vidimus 4), librum conscripsit de vita Pompeii, fortasse condidit quoque vitam Caesaris 5), tandem edidit librum: „non esse Caesaris filium, quem Cleopatra dicat" 6). Hirtius, ut ipse tradit 7), Caesaris vitam usque ad exitum composuit. Corn. Balbum Caesaris gesta descripsisse e Suetonii loco quodam 8) concludit Vossius 9). Quod equidem, quum hac in re aliis indiciis careamus, in medio relinquo. Sed illos tres scriptores utrum Appianus adierit necne, aeque incertum. Nihil enim, quod ex iis profluxisse novimus, cum Appiano comparari potest. C. Asinii Pollionis, et strenui militis et scriptoris clarissimi, frequenter meminit Appianus 10). Historiarum suarum praecipuum quidem argumentum fecisse bellum civile inter Pompeium et Cae-

1) App. 102. 2) App. 128 sq. 3) App. 122, 137, 144.
4) Vid. supra p. 11, not. 7.
5) Heeren, p. 136. — Schweiger, *de font. atq. auctor. vitt. Sueton.* p. 7. — Bähr, II, p. 46. 6) Suet. *Caes.* 52.
7) *De bell. Gall.* VIII, 1. 8) Suet. *Caes.* 8.
9) Voss. *de Hist. Lat.* I, c. 13. 10) App. II, 40, 45, 82 et alibi.

sarem, sed tamen universi operis tractationem ita dilatasse, ut in omnem sui temporis historiam ad imperium usque Augusti excurreret, opinatur Thorbecke 1). Utut est, Asinii auctoritati tantum tribuit Appianus, ut e compluribus Latinis scriptoribus, quos de pugna Pharsalica a se collatos profitetur, unum Pollionem, tamquam qui prae ceteris fidem mereatur, nominatim laudaverit 2). Quamquam igitur eum hoc libro semel tantum testem advocat, multa ex eo deprompsisse existimandus est. Quod enim non omnia, auctore Asinio apud alios scriptores relata 3), ex eo desumsit, nihil contra meam sententiam probat. Scripsit Asinius insuper epistolas ad viros insignes, ut ad Ciceronem et ad Plancium 4), quas num inspexerit Appianus, incertum est.

§ 2.

Nihil indicat, Appianum Bibulum, Curiones, Dolabellam, C. Memmium, Actorium Nasonem, T. Ampium, Q. Tuberonem, Corn. Nepotem, Munatium Rufum, Tironem, Empylum, Theophanem, Fenestellam adiisse. — M. Bruti et Antonii orationes ab eo laudantur. — Verisimile est, eum Tanusium Geminum et Octaviani commentarios adhibuisse. — Diodoro non usus est.

Sequantur adversarii Caesaris. In horum numero est M. Bibulus, qui cum Caesare consulatum gessit, sed a collega armis foro expulsus sese domum abdidit et decreta Caesaris per edicta 5) studuit impedire. Quam acerbe autem his edictis in Caesarem invectus sit, testatur Cicero 6). Cum quo faciunt Curiones, pater et filius, qui orationes acerbissimas 7) in Caesarem conscripserunt. Caesari etiam infestus fuit Cn. Dolabella, qui aliquando ab eo accusatus patrocinio Cottae et Hortensii absolutus est, quare Caesarem actionibus suis carpsit 8). Cui iungatur M. Brutus, qui orationem Caesare interfecto in con-

1) Thorbecke, *de C. Asinio Pollione*, p. 119.
2) App. 70, 80. — Cf. Schweigh. *Exerc.*, p. 75 et *ad App.* III, p. 763.
3) Suet. *Caes.* 30, 55, 56. — Plut. *Caes.* 46. 4) Gell. I, 22; X, 26.
5) Suet. *Caes.* 9, 49. 6) Cic. *ad Att.* II, 19.
7) Suet. *Caes.* 9, 49, 50, 52. 8) Suet. *Caes.* 49.

cione Capitolina habitam 1) Ciceroni misit corrigendam 2), cuius argumentum interfectum tyrannum et patriam liberatam fuisse ex Appiano discimus. Hic insuper aliam eiusdem orationem citat 3). Scripsit idem epistolas saepe a Plutarcho adhibitas. Huc etiam pertinet C. Memmius, cuius asperrimis orationibus Caesarem rescripsisse narrat Suetonius 4).

Occurrit porro Tanusius Geminus, de cuius nominis scriptura variant scriptores 5). Ex hoc Plutarchus Catonem censuisse refert, Caesarem barbaris esse tradendum 6). Idem Appianus in fragmentis de rebus Gallicis narrat, sed auctoris nomen reticet 7). Tanusium innui dubium non est 8). Num tamen eiusdem annales in bellorum civilium historia usurpaverit Appianus, decerni non potest, etsi fateor, id mihi reputanti, Appianum etiam alibi ad eum recurrisse, satis verisimile videri. Quale opus M. Actorius Naso condiderit, nescimus: verum eum in detrimentum Caesaris scripsisse, e Suetonio patet 9). Neque T. Ampium Caesari scribendo favisse, idem docet 10), quamvis libri titulus et argumentum aeque obscura sint. Plures tandem libros edidit Q. Tubero, e quibus huc pertinet historia, inde ab urbis primordiis ad sua usque tempora deducta 11).

Omnes hi scriptores res, de quibus loquimur, respexerunt, et a Suetonio in vita Caesaris laudantur, nonnulli etiam, uti M. Brutus 12) et Tanusius, a Plutarcho. Excepto vero M. Bruto eos ab Appiano collatos esse nullibi apparet, quamvis nonnumquam idoneam occasionem haberet eos memorandi, quod v. c. de Bibulo valet 13). Sed quia Appianum Caesari nonnihil favisse infra liquebit, facile putaverim, eum non multa e plurimis eorum exscripsisse. Quod eo lubentius credo, quoniam e Suetonio discimus, plerosque obtrectandi studio sua scripta composuisse ceterorumque scripta ad historiam recte intelligendam parum profuisse censeo.

1) App. 122. 2) Cic. *ad Att.* XV, 1.
3) App. 137. 4) Suet. *Caes.* 73.
5) Cff. Suet. ed. Oudend. *Caes.* 9; Schweiger, p. 9.
6) Plut. *Caes.* 22. 7) App. *fragm. de reb. Gall.* 18.
8) Schweigh. *ad App.* l. l. 9) Suet. *Caes.* 9, 52.
10) Ibid. 77. 11) Liv. IV, 23. Suet. *Caes.* 83.— Cff. Lachm. *de font. Liv.* Comm. I, p. 40 et Schweiger, p. 10. 12) Heeren, p. 123.
13) App. 9, 10 sq.

Praeter scriptores modo allatos, Catonis Minoris vita a Corn. Nepote condita Appiano hîc usui esse potuit. Cuius vero vitae iactura non sinit statuere, Appianum illam secutum esse. Idem valet de Munatio Rufo, de Empylo et de Tirone, quorum ille Catonis memoriam literis mandavit 1), hic Ciceronis vitam composuit 2). Appianum scriptis illis haud usum esse existimo, quoniam non nisi in transcursu et Catonis, et Ciceronis meminit. Num Empyli commentarium de morte Caesaris legerit, diiudicare non licet. Quod mihi tamen haud valde credibile videtur, siquidem Appianus fere ubique a Plutarcho multum Empylo tribuente 3) differt. Quaeritur etiam, num Appianus Theophane, qui Pompeii res gestas enarravit, usus sit? Illud solum dicere possum, Appianum non ea afferre, quae ex illo hausit Plutarchus 4).

Iam venimus ad Antonium, ad Fenestellam, ad Octavianum et ad Diodorum. Ex Antonii oratione funebri fragmenta quaedam apud Appianum 5) inveniuntur, quam utrum ille revera ita habuerit, an vero Appianus argumentum aliunde sumserit ex suone effinxerit ingenio, hîc non quaerimus, sed infra disceptabimus. Eum Fenestellam adiisse, ut supra 6), ita hîc, nulla vestigia indicant. Ex Octaviani vera commentariis, etsi non multum, tamen aliquid hoc libro proficere poterat scriptor. Verum Dio de Caesaris testamento mentionem faciens narrat, alia aliis legata esse, populo autem hortos ad Tiberim atque ipso Octavio auctore viritim centenos vicenos, secundum alios trecenos sestertios 7). Appianus omisso tantum Octaviani testimonio de ceteris cum Dione consentit 8). Quum vero Suetonius 9) et Plutarchus 10) pariter illa Octaviani verba neglexerint, fieri potest, ut hi tres scriptores ceterorum auctorum sententiam Octaviani testimonio praetulerint. Sane mirum erat, si Appianus, quem deinde illis commentariis saepe usum esse et nominatim ad eos provocasse comperiemus, hîc eosdem nihili fecisset.

1) Heeren, p. 120 sq. 2) Ibid. p. 133.
3) Heeren, p. 124. 4) Plut. *Pomp.* 37. — Cf. Heeren, p. 117.
5) App. 144-146. 6) Vid. supra p. 11. 7) Dio XLIV, 35.
8) App. 143. 9) Suet. *Caes.* 83. 10) Plut. *Brut.* 20.

Postremo loco de Diodoro dicendum. Hunc tantum usurpare potuit Appianus in historia coniurationis Catilinae. Supra 1) iam vidimus, in Appiani primo libro omnia eo ducere, ut statuendum sit, eum Diodori opus aut ignorasse, aut saltem non contulisse. Idem affirmare nunc licet luculentoque argumento demonstrare. Nam in Diodori fragmento quodam legimus, Ciceronem senatores iterum rogasse, iuberentne Catilinam urbe excedere, tum unanimi voce cunctis consurgentibus seque id decernere dicentibus Catilinam curia excessisse 2). Iamvero quum ex orationibus in Catilinam 3) et e Sallustio 4) constet, Catilinam non decreto senatus urbe excedere iussum, Ciceronem vero hoc suasisse tantum, non iussisse, manifestum est, Diodorum et Dionem 5), qui eum secutus est, falsa narrare. Appianus contra de iis, quae in senatu actu sunt, omnino silens, tantum dicit, Catilinam in celeritate spem collocantem sponte sua ad C. Manlium profectum esse 6). Eodem modo, ut hoc uno verbo addam, apud Dionem locum quendam ex actis publicis reperimus, qui apud Appianum deest. Nimirum Dio memorat, Caesarem non solum coronam sibi oblatam aspernatum esse, sed in acta publica referri iussisse, regnum se a populo sibi per consulem oblatum non accepisse 7).

§ 3.

Ostenditur, in Appiano conspicua librorum deperditorum Livii vestigia conservari.

Capite superiori patuit, Appianum primo libro Livii quidem auctoritatem secutum esse, sed ita, ut praeterea ex aliis fontibus hauriret. Quid quod m. i. in quibusdam partibus illius libri eum plane reiecit. Eandem fere sententiam de hoc libro proferimus. Quam ut probemus, primum ostendemus,

1) Vid. supra p. 21, 22. 2) Diod. XL, 5.
3) Cic. *in Catil.* I, 5, 8; II, 6. 4) Sall. *Catil.* 31, 32.
5) Dio XXXVII, 33. 6) App. 3.
7) Dio XLIV, 11. — Cf. App. 109.

longe plurima ex Appiani traditis cum Livii epitomis congruere. Cui opinioni non obstat, quod apud alios scriptores, v. c. apud Plutarchum 1), quaedam Livio auctore exponuntur, Appiano prorsus incognita. Neque ad rem multum interest, nos putare, Appiani descriptionem de Catilinae coniuratione nequaquam Liviano opere niti, quamquam non praetermittendum, epitomarum 2) brevitatem ibi tantam esse, ut certi quid pronuntiare non liceat. Sed pariter et eodem ordine ambo scriptores narrant: P. Clodium a T. Annio Milone Appia via ad Bovillas occisum esse plebemque corpus in curia cremavisse 3); Cn. Pompeium a senatu consulem absque collega creatum esse 4); Milonem iudicio damnatum in exsilium actum 5); legem esse latam, ut in petitione consulatus ratio absentis Caesaris haberetur 6). Libro centesimo nono Livius caussas et initia belli civilis et M. Antonii Cassiique tribunorum plebis fugam ex urbe exposuerat, Caesarem cum exercitu in Italiam venientem depinxerat, Corfinium a Caesare captum ac Pompeium eiusque sectatores Italia expulsos narraverat. Eadem commemorat Appianus 7), neque eius maior ubertas impedit, quominus consensum cum Liviana epitome animadvertamus.

Convenienter ambo porro referunt: C. Antonium, legatum Caesaris, in Illyrico male contra Pompeianos res gessisse 8); C. Curionem, Caesaris legatum in Africa, quum prospere adversus Varum, Pompeianarum partium ducem, pugnasset, a Iuba, rege Mauritaniae, cum exercitu caesum esse 9); Pharnacem Domitium, Caesaris legatum, collatis signis egregie vicisse 10), sed mox sine ulla belli mora a Caesare superatum esse 11); denique Caesarem veteranis cum seditione missionem postulantibus dedisse 12), ubi vero epitome rursus nimis exilis est. Similis epitomarum brevitas fere prohibet, quominus videamus, Livium eadem atque Appianum tradidisse de pugnis apud

1) Plut. *Caes.* 47, 63. 2) Liv. *ep.* 102, 103.
3) Liv. *ep.* 107. — App. 21, 22. 4) Liv. ibid. — App. 23.
5) Liv. ibid. — App. 24. 6) Liv. ibid. — App. 25.
7) App. 26, 27, 30, 33, 36, 37, 38. 8) Liv. *ep.* 110. — App. 47.
9) Liv. *ep.* 110. — App. 44, 45. 10) Liv. *ep.* 112. — App. 91.
11) Liv. *ep.* 113. — App. 91. 12) Liv. *ep.* 113. — App. 92-94.

Dyrrhachium et Pharsalum, de Caesaris triumphis, ac de honoribus ei a senatu decretis 1). Hunc tamen sua ex illo desumsisse, aut saltum utrumque eundem fontem adiisse, inde colligitur, quod Livius nihil affert, quod apud Appianum desideretur. Tandem eadem consensio percipitur in enarratione caussarum invidiae, cui Caesar succubuerit 2), in exponenda conspiratione in eum facta atque eius morte 3), denique in tradendis iis, quae post Caesaris exitum acciderint 4).

Etsi satis argumentorum nos attulisse credimus, addere lubet, Appianum non solum universe in rebus maioribus et in ordine narrationis cum Livio convenire, sed saepe adeo in rebus minutissimis cum eo congruere. Ita uterque consentienter dicit, nulli unquam quod Pompeio eveniret contigisse, nimirum quod solus consulatum gesserit 5). Tum Pompeii caedem explicantes iisdem auctoribus adscribunt Caesaremque tertio die ab Rhodo 6) Alexandriam pervectum esse tradunt 7). Deinde maxima similitudo inter utrumque intercedit in historia belli a Caesare in Africa gesti 8), quem ibi cum discrimine magno pugnavisse, neuter infitiatur. Neque praetermittendae viginti tres plagae 9), quibus Caesar interfectus esse fertur. Si quis tamen hisce lectis adhuc dubitaverit, hoc consensus documentum profero. Livius de bello tempore Camilli contra Gallos gesto exponens putat, aurum, quod Gallis ereptum et inter trepidationem ex aliis templis in Iovis cellam collatum esset, sacrum omne iudicatum et sub Iovis cella in Capitolio poni iussum esse 10). Iam Appianus hoc libro Caesarem illas pecunias abstulisse tradens eandem famam sequi videtur 11).

Verum non a Livio solo sua mutuatus est Appianus. Discrimina enim notantur, quibus apparet, hunc interdum ab illo deflexisse. Ita Lentulum Corfinio praefuisse, ignorat Appianus 12), quod e Livio 13) discere potuit, et Septimium Pom-

1) Liv. *ep.* 112, 115, 116. — App. 61, 62, 78-81, 101, 106.
2) Liv. *ep.* 116. — App. 107-109. 3) Liv. ibid. — App. 111-118.
4) Liv. ibid. — App. 120-124, 143, 148. 5) Liv. *ep.* 107. — App. 23.
6) Cf. Duker *ad Liv.* l. l. 7) Liv. *ep.* 112. — App. 84, 89.
8) Liv. *ep.* 113, 114. — App. 96, 97. 9) Liv. *ep.* 116. — App. 117.
10) Liv. V, 50. — Cf. Drum. III, p. 445. 11) App. 41.
12) App. 38. 13) Liv. *ep.* 109.

peio primum vulnus inflixisse ait, deinde ceteros 1), quamvis Pompeium ab Achilla, cui id facinus esset delatum, occisum esse scripsisset Livius 2), et seditiones a Dolabella tribuno plebis Romae excitatas obiter attingit 3), quas Livius uberius narraverat 4), et quamquam de Catonis morte cum Livio consentire videtur 5), de eius aetate ab hoc discrepat 6), etvero aperte a Livio dissentiens Sextum Pompeium in Hispania occubuisse refert 7), quem Livius effugisse affirmat 8). Huc accedit, quod Appianus non semper eodem ordine, quo Livius, res explicat, qui v. c. Curionis fata Antonii cladi postposuit 9), quum contrarium fecerit Appianus 10). Attamen raro talia observantur.

Sed plura affert Livius, quae ex eo depromere noluit Appianus. Huc refero: Varronem, Pompeii legatum, cum exercitu in Caesaris potestatem redactum esse Caesaremque Gaditanis civitatem dedisse 11); M. Coelium Rufum, quum seditiones in urbe concitavisset, Roma pulsum Miloni exsuli se coniunxisse 12); Ciceronem apud Pharsalum in castris remansisse 13); Theodotum Caesari annulum Pompeii obtulisse 14); res, Africam spectantes, quae initio epitomes 113 occurrunt; Faustum et Afranium occisos esse 15), de quibus altum est silentium apud Appianum, etsi ceterorum necis Livio congruenter meminerat 16); denique Marcelli res atque numerum civium recensorum 17).

At opponat forte quis, Appianum Livium nequaquam potuisse sequi, quod et plura prodigia, quae Iulius Obsequens haud dubie e Livio petiverit 18), omittat, etvero nonnulla apud illum desint, quae Dio a Livio acceperit 19). Quem ita

1) App. 85. 2) Liv. *ep.* 112. 3) App. 92. 4) Liv. *ep.* 113. 5) Liv. *ep.* 114. — App. 98-100. 6) Ibid. 7) App. 105. 8) Liv. *ep.* 115. 9) Liv. *ep.* 110. 10) App. 44, 45, 47. 11) Liv. *ep.* 110. 12) Liv. *ep.* 111. 13) Ibid. 14) Liv. *ep.* 112. 15) Liv. *ep.* 114. 16) App. 100. 17) Liv. *ep.* 115.

18) V. c. Iul. Obseq. c. 122, 63, 124, 125, 126, 127. — Fateor mihi non persuasum esse, similitudinem tantam inter Dion. 40, 17 et Obseq. 63 atque inter Dion. 41, 14 et Obseq. 125 intercedere, quantam Wilmans, *de font et auct. Dion. Cass.*, p. 16 censet.

19) Cf. de Caesare Italiam intrante Liv. *ap. Oros.* VI, 15 cum Dion. LI, 4; de Bogude Liv. *ap. Priscian.* VI, p. 686 ed. Putsch cum Dion.

refuto. Appianum infra comperiemus prodigia tam raro memorasse, ut si quis hinc demonstrare velit, eum cum Livio conspirare, operam perdat. Et quod ad Dionis locos cum Livio consentientes attinet, hos saepius non apud Appianum ita legi fateor, sed discrimina eiusmodi haud moror, mecum reputans, Livii opus tam prolixum fuisse, ut alius alia ex eo excerpere potuerit. Neque tamen ideo asseverare volumus, similitudinem inter Appianum et Livium tantam esse, ut Livii opus in illius libris servatum esse existimemus. Verum enimvero Appianum cum eo concinere, insuper e Floro atque ex Orosio probare possumus. Tanta enim Livius posteriores scriptores tenuit auctoritate, quemadmodum ostendit Wilmansius 1), ut quodammodo deperditos eius libros compensent. Inter quos prae ceteris nominandus Florus. Nam quum aliis alia afferentibus Florus 2) et Appianus 3) congruenter tradant, Caesarem Romae aerarium sanctum, quia tardius aperirent tribuni, iussisse effringi, ac Caesaris castra in Hispania fame tentata esse, ita ut obsessor ipse quasi obsideretur, aut quum ambo de Curionis in Africa bellantis virtute et calamitate conspirent 4), aut Caesaris vocis „quid times? Caesarem vehis" unanimi meminerint 5), quis dubitet, an uterque ibi toties Livium transscripserit? Itaque nonne iure omnia, quae ad verbum fere in Floro et Appiano congruunt, Livii fragmenta esse coniicimus? Negari quidem nequit, potuisse Florum ipsum ab Appiano in partes vocari, sed quum ex fonte integro haurire ei liceret, cur rivulum derivatum eumque saepius turbatum adiisse eum putemus? De locis tandem Orosii cum Appiano consentientibus idem atque apud Florum valet. Sic Appianus memorat, populum Caesaris corpus congestis subselliis et quidquid lignorum

XLIII, 38; de incendio bibliothecae Alexandrinae Liv. *ap. Senecam de tranq. an.* c. 9 cum Dione XLII, 38; de Varo et Curione Liv. *ap. schol. Gronovian. in Cicer. orat. pro Ligario*, Orell, p. 415/ cum Dion. XLI, 42.

1) Wilmans, p. 18, 19.

2) Flor. IV, 2, 21. Cff. Dio XLI, 17 et Oros. VI, 15. — Flor. IV, 2, 27. Cf. Dio XLI, 22. 3) App. 41, 42.

4) Flor. IV, 2, 34. — App. 44, 45.

5) Flor. IV, 2, 37. — App. 57.

ad manus esset in foro cremavisse 1), neque aliud habet Orosius 2).

Omnibus igitur diligenter mecum perpensis concludo, Appianum hoc libro permultum Livio tribuisse eumque saepius quam libro superiori in auxilium advocasse.

§ 4.

Appianus Frontinum haud inspexisse videtur. — Neque a Cicerone eum pependisse arbitror. — Eundem in Catilinae coniuratione enarranda prae ceteris Sallustium, fortasse etiam Brutum, in auxilium advocasse, argumentis allatis demonstratur.

Inter scriptores, qui eandem materiam atque Appiani librum secundum tractaverunt quique hodie in omnium manibus sunt, haud insignem locum occupat Frontinus. Sed temporum ratio nos primos ad eum adducit. Post ea vero, quae supra 3) de hoc scriptore disputavimus, rem paucis absolvere praestabit. Appianum autem Frontinum inspexisse mihi parum probabile videtur, tum quod hunc Livio praeferre insanientis erat, tumvero quia nulla vestigia consensus Frontinum inter et Appianum exstant. Ne exempla desint, hic proelium illud inter Pharsalum et Enipeum fluvium commissum esse ait 4), quod ille accuratius 5) Palaeopharsali fuisse dixerat 6). Et licet eadem referant, eum consensum non videas, ut statuas, alterum ex altero hausisse. Adeas e. g. locos de Caesare per speciem securitatis Alexandriam visendi causa obambulante 7), de militibus cum seditione missionem postulantibus 8), ubi Appianus res multo fusius describit.

Ut Appianum libro primo Ciceronis scripta neglexisse putamus 9), ita eum hîc ad ea recurrisse nequaquam existimo, licet ad res penitus pernoscendas ex iis multum proficere po-

1) App. 148. 2) Oros. VI, 17. 3) Vid. supra p. 18.
4) App. 75. 5) Cf. Drum, III, p. 509, not. 99.
6) Front. II, 3 § 22. 7) Front. I, 1 § 5. — App. 89.
8) Front. I, 9 § 4. — App. 92-94. 9) Vid. supra p. 19.

tuisset. Quum vero se non omnia accuratissime perscripturum innuat Appianus 1), crediderim, talem scriptorem, qui res sibi tractandas ordine digesserit atque continenter exposuerit, ei plus placuisse quam Ciceronem, qui, etiamsi minutissima quaeque et scitu perquam digna afferat, ea passim per scripta sua dispergit. Quod quamquam in eius librum de consulatu non quadrat, tamen et hunc neglexisse videtur Appianus. Ut exempla afferam, refert Cicero, triumviros coniurationem suam, quantum eius fieri posset, maxime occultam habuisse 2); innuit, repentinam istam affinitatis coniunctionem Caesarem inter et Pompeium sibi suspectam et invisam esse 3); facit mentionem de lege de repetundis a Caesare lata 4); significat, se Caesaris res gestas versibus celebrasse, quos hic valde probaverit 5); tandem apud eundem et apud Dionem 6) legitur, Catilinam se ipsum Ciceroni in custodiam dedidisse 7). Quae omnia ne verbo quidem tangit Appianus. Quem porro nulla in re cum Cicerone concinere, e plurimis in primis Ciceronis epistolis apparet, ubi hic sententia sua de statu reipublicae proferenda delectatur suisve ipsius casibus describendis immoratur 8).

Si inter utrumque scriptorum forte conveniat, quod tamen raro fit, res varie ab utroque effertur. Quod cuivis eos conferenti de falsis rumoribus super Caesare ad urbem contendente sparsis 9) et de Curione censente, Caesari sine mora arcessendas universas copias deducendasque ad urbem 10) clarum fiet. Aliter porro Cicero de Curionis lege viaria 11) loquitur quam Appianus 12), et quamvis ambo scriptores Romae conditionem cum Athenis tempore belli Persici comparent 13), Appianus

1) Cf. App. praef. 14. 2) Cic. *ad Att.* II, 3.

3) Cic. *ad Att.* II, 17; VIII, 3. — Nescio sane, cur Appianus, qui Catonis verbum „nuptiis constuprari imperium" addit, si Cicerone usus esset, de huius sententia hac in re tacuisset.

4) Cic. *ad Fam.* VIII, 8; *pro Sext.* 64; *in Vat.* 12.

5) Cic. *ad Q. fratrem* II, 16. — Cf. Drum. III, p, 322.

6) Dio XXXVII, 32. 7) Cic. *in Cat.* I, 8.

8) De his epistolis, quas longum est enumerare, lectores remitto ad Drum. III, p. 401, 414, 416, 428, alibi.

9) Cic. *ad Att.* VI, 9; VII, 1. — App. 31.

10) Cic. *ad Fam.* XVI, 11. — App. 32. 11) Cic. *ad Fam.* VIII, 6.

12) App. 27. 13) Cic. *ad Att.* VII, 11; X, 8. — App. 50.

mentionem de Themistocle atque Periclo non infert, quemadmodum facit Cicero.

Innumeri contra adsunt loci testantes, Appianum prorsus a Cicerone discrepare. Appianus copiose de Marcello in Caesaris contumeliam Novocomensem illum virgis caedente agit 1), quod Cicero summatim attingit 2). Domitio quatuor millia militum fuisse bis affirmat Appianus 3), etsi Cicero ei ne tria quidem millia tribuit 4). Falso Cicero scribit, C. Cassium Alexandriam ad Caesarem contendisse 5), quem ad Pharnacem properavisse, recte perhibet Appianus 6). Quum Cicero denique tanquam rem nulli dubio obnoxiam narret, Catilinam amore Aureliae Orestillae captum necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse 7), quod vel Sallustius *pro certo credi* scribens lenius expresserat 8), Appianus omnium aequissime referens Catilinam filium suum sustulisse *credi* tradit 9).

Multas ob causas sane verisimile videatur, Appianum Sallustii scripta adhibuisse. Cuius tamen Historias Appiano ad manum fuisse m. i. nullo modo demonstrari potest. Sallustium Caesaris auspiciis militantem tantum inducit Appianus, sed eius operum ne verbo quidem meminit. Quod etsi ita se habet, sine ulla dubitatione affirmare licet, Appianum Sallustii Catilinam in coniuratione huius nefarii hominis exponenda primarium sibi ducem elegisse. Quod in dubitationem non vocabis, dummodo Appiani pauca capita hanc rem tractantia cum Sallustii splendidissimo opere conferre velis.

Cf. igitur App. 2 cum Cat. 15, 5, 23, 24, 27.
„ 3 „ „ 23, 26, 32, 36, 43.
„ 4 „ „ 40, 41, 44, 45, 46, 47.
„ 5 „ „ 47, 48, 50.
„ 6 „ „ 49, 51, 52, 55.
„ 7 „ „ 56, 59, 60, 61.

Si quis vero putaverit, etiamsi Appianus universe cum Sallustio congruat, hinc tamen non statim sequi, illi hunc

1) App. 26. 2) Cic. *ad Att.* V, 11. 3) App. 32, 38.
4) Cic. *ad Att.* VII, 24.
5) Cic. *ad Att.* XI, 15. — Cf. Drum. III, p. 531, not. 59.
6) App. 88. 7) Cic. *in Cat.* I, 6. 8) Sall. *Cat.* 15. 9) App. 2.

aut unice, aut praesertim ob oculos versatum esse, me assentientem habebit. Quapropter haec addo. De Catilinae consilio Appianus egregie „ἐς ὑπατείαν παρήγγειλεν, ὡς τῇδε παροδεύσων ἐς τυραννίδα" ait 1), quod mirifice consentit cum eiusdem oratione a Sallustio literis mandata 2). Eandem causam, cur Catilina in consulatu petendo repulsam passus sit, afferunt ambo scriptores 3). Eodem modo ac Sallustius 4), Curium temere iactantem et Fulviam Ciceroni reipublicae periculum deferentem inducit Appianus 5), qui tamen paulo accuratius hanc provinciam administrasse videtur 6). Catilinam sua sponte in Manliana castra profectum esse illudque iter velut proconsulem fascibus securibusque praelatis fecisse, neuter omittit 7). Quin adeo tenax exempli sui est Appianus, ut ne dicere quidem supersedeat, Iunium Silanum primum sententiam rogatum esse, quod eo tempore consul designatus esset 8). Rectius denique quam Cicero 9) uterque tradit, Neronem ante Caesarem in senatu pro sententia dixisse, coniuratos tantisper in custodia servandos, dum totum negotium exquisite pernosceretur 10). Sed a pluribus indiciis afferendis abstineamus.

Iamvero quum supra apparuerit, Appianum in his tradendis Ciceronem non contulisse 11), atque a Diodoro dissidere 12), neque ei Livius hac in re innotuisse videatur teste historiola illa de sanguine humano, quem coniurati biberint 13), primo aspectu haud absurdum videtur statuere, Appianum nihil egisse, nisi sua e Sallustio compilare. Quod vero Wilmansius 14) credens in errorem inductus est. Quamquam enim haud nego, Appianum propius Dione Sallustium secutum esse, in quaedam tamen incidi, quae aperte cum hoc scriptore pugnant. E quo v. c. non promanavit haec mentio, Catilinam inde a Cicerone consule creato prorsus abstinuisse a republica, ratum pluri-

1) App. 2. 2) Sall. *Cat.* 20. 3) Sall. *Cat.* 23. — App. 2.
4) Sall. *Cat.* 23, 26. 5) App. 3.
6) Cf. Hagen, *Untersuch über Röm. Gesch.* I. *Cat.*, p. 163, 164.
7) Sall. *Cat.* 32, 36. — App. 3. 8) Sall. *Cat.* 50. — App. 5.
9) Cic. *ad Att.* XII, 21. 10) Sall. *Cat.* 50, 51. — App. 5, 6.
11) Vid. supra p. 40. 12) Vid. supra p. 34.
13) Flor. IV, 1 § 3. — Dio XXXVII, 30. — Sall. *Cat.* 22. — Cf. Wilmans, p. 28. 14) Wilm. p. 27.

mum contentionis et invidiae habere reipublicae tractationem, neque tamen multum conferre ei, qui tyrannidem quantocius occupare cupiat 1). Contrarium enim docet Sallustius 2). Tum Appiano contendenti, pecuniae magnam vim corrogatam a multis ex eo genere mulierum, quae maritos pertaesae sperarent, orto tumultu e medio eos tollere posse 3), contradicit Sallustius, modo cogitans de hominibus, quibus neque res neque spes bona ulla esset 4). Merito igitur Hagenus Appianum hoc loco absurda proferre censet 5), quum Sallustius diserte dicat, Catilinam sibi tales mulieres adscivisse, quae divitiarum loco aes alienum grande conflavissent, et teste eodem ne Sempronia quidem opibus abundaret 6). Sed hisce locis eum haud adnumero, ubi Appianus manifeste cum Sallustio concinens eatenus tantum levissime erravit, quatenus Sallustii verba „post eum diem" haud percepisse videtur 7).

Sed quaerat quis, cuinam discrepantia illa accepta referat Appianus. Difficile dictu est. Mihi vero Hageni coniectura probanda videtur putantis, eum, praeter Sallustium, Bruti libro de laudibus Catonis usum esse 8). Quidquid est, constat, cum Appiani tradita de Catilinae coniuratione in primis e Sallustio profluxisse, tum iis alia aliunde hausta inserta esse. Verum utrum Appianus priora illa recta via e Sallustio petiverit, an vero cum hoc ex iisdem fontibus desumserit, haud decerno. Nihilominus confiteor, me potius Wilmansii illud opinantis sententiae accedere 9) quam Hageno hoc saepius perhibenti 10) favere, licet Hagenus teste alio loco 11) sibi hac in re nequaquam constare videatur.

1) App. 2, qui locus et Drumannum et Hagenum fugisse videtur.
2) Sall. *Cat.* 9. 3) App. 2. 4) Sall. *Cat* 21. 5) Hagen, p. 151.
6) Sall. *Cat.* 24, 25.
7) Sall. *Cat.* 48. — App. 4, 5. — Cf. Hagen, p. 269, 316.
8) Hagen, p. 18, 293, 298. 9) Wilm. p. 27.
10) Hagen, p. 18, 163, 269, alibi. 11) Ibid. p. 298.

§ 5.

Appianus orationes epistolasque Caesaris laudat. — Idem Commentarium de bello civili librosque de bello Africano atque Hispaniensi procul dubio adhibuit, sed ita ut simul alios auctores minime neglexerit.

Quid mirum, si in Caesaris casibus eventibusque describendis Appianum ipsius Caesaris scripta evolvisse invenias? Quae varii generis fuisse, apud omnes constat: nam in iis numerantur non solum Commentarii illi de bello Gallico et civili, sed Anticato 1), orationes, epistolae ad senatum, ad Ciceronem, ad familiares 2). Appianum loco commentarii de bello Gallico aliam Caesaris scriptionem, quae ephemeris fuerit inscripta, consultasse, arbitratur Schweighaeuserus 3), qualem quidem ephemeridem exstitisse, alii negant 4). Quod explorare quum meum non sit, in transcursu moneo. Ceterum orationes saepe citat Appianus 5), epistolas raro affert 6). Ad quem epistola illa, e qua locum quendam adducit 7), scripta sit, haud adiicit, sed in ea Pompeii strategema improbari dicit, qui pedites suos iusserit stantes praetentis hastis impetum irruentium hostium excipere. Quod scribens Appianus ad Caesaris commentarios provocare potuit, in quibus illud Pompeii institutum pariter, etsi paulo fusius, vituperatur 8). Sed ea, quae Appianus deinde ex eadem epistola tradit, eatenus ab iisdem commentariis discrepant, quatenus in illa circumventorum hostium inchoataeque victoriae laus diserte decimae legioni tribuitur 9), quum in commentariis Caesar eandem laudem nulla mentione decimae legionis facta studiose sex illis cohortibus adscribat, quas e tertia acie detractas in subsidio locaverat 10). Cuius inconstantiae probabilem causam in eo sitam

1) Vid. supra p. 29. 2) Suet. *Caes.* 26, 56.
3) Schweigh. *Exercit.*, p. 70-72; *ad App.* III, p. 184 sq.
4) Drum. III, p. 755. — Bähr II, p. 43.
5) App. 10, 43, 47, 53, 55, 73. — Plura de hoc argumento infra.
6) App. 32, 79. 7) App. 79. 8) Caes. *de bell. civ.* III, 92.
9) Quod etiam apud App. 78 fit. 10) Caes. *de bell. civ.* III, 94.

esse, existimat Schweighaeuserus 1), quod quo tempore commentarios suos ederet Caesar, ob seditionem adversus se excitatam 2) animum ab eadem decima legione, quam olim reliquis omnibus semper praetulisset, alienatum haberet; hinc autem factum esse, ut laudem illam ad alios transferre consulto studuerit. Quod in medio relinquens viro celeberrimo censenti, non minorem fidem mereri quae in epistolis tradita sint, quam quae in commentariis, assentior.

Num Caesaris epistolae saepe ab Appiano adhibitae sint, ipse nos ignorare voluit, et deficientibus aliis indiciis pro certo affirmari nequit. Quae quaestio etsi non omni momento caret, nihilominus non tanti ponderis aestimanda est atque alia quaedam, utrum scilicet Appianus Caesaris Commentario de bello civili usus sit necne. Scio quidem, hanc scriptionem longe plura exhibere, quam quae in Appiani libro secundo exspectare possis. Neque id quaero, num Appianus unice auctorem illum exscripserit. Profecto Appianus haudquaquam ei foedo gregi scriptorum adnumerandus est, qui omnia sua e duobus tribusve auctoribus compilare soleant. Sed indagandum est, num Appianus commentarium illum, quem miror Wilmansium de Dionis fontibus agentem non in disceptationem vocavisse, secutus sit, et quantam auctoritatem ei tribuerit.

Primum igitur monendum, pauca apud Appianum deprehendi, quae omnino Caesari consentanea sint. Ad haec v. c. referenda mentio de senatu decernente, ut Pompeio concederetur, pecunia ex aerario uti, utque pecuniae a municipiis exigerentur, et tota Italia delectus haberentur 3). Huc etiam traho brevem illam Caesaris allocutionem ad milites, qua eos iubet mancipia atque impedimenta in Italia relinquere, quo facilius expediti naves conscendant et traiiciant 4). Qualibus locis fretus nondum tamen perhibere ausim, Appianum sua e Caesare desumsisse. Verum accedit, quod perplura ita ab

1) Schweigh. *Exercit.*, p. 73, 74; *ad App.* III, p. 764.

2) Suet. *Caes.* 70. — App. II, 92-94.

3) Caes. *bell. civ.* I, 6. — App. 34. — Fallitur Drumannus, III, p. 409, opinans legi quoque apud Appianum l. l., quod a Caesare l. l. dicitur, pecunias e fanis sublatas esse.

4) Caes. *bell. civ.* III, 6. — App. 53.

Appiano traduntur, ut Caesaris commentario fundamenti instar superstructa esse videantur, sed ita quoque ab hoc differunt, ut scriptorem simul alios auctores in partes vocasse, necesse sit. Quod ita esse quivis intellexerit, si animadverterit, Appianum quidem cum Caesare congruentem narrare, Petreium in Hispania bellantem Caesari hanc regionem noluisse concedere, sed aliter quam Caesarem habere, Petreium unum e suis tribunis confodisse, atque omittere, plerosque Caesarianorum a Pompeianis celatos noctuque per vallum emissos esse 1). Sic ambo consentiunt de numero legionum et navium longarum, quibuscum Curio ex Sicilia in Africam profectus est itemque de sexcentis e Vari exercitu proelio caesis, sed apud Caesarem deest historiola de aqua veneno infecta morbosque in exercitu pariente 2). Cui loco simillimum puto eum, ubi Caesaris exercitus fame laborasse et ex herbarum radicibus panem confecisse ab utroque dicitur, sed solus Appianus Pompeium hoc audito „cum qualibus bestiis nobis bellum est!" exclamasse ait 3).

Eiusmodi quid videas in descriptione pugnae apud Dyrrhachium 4), in qua licet quaedam convenienter exponantur, alia variant, v. c narratiuncula de signifero quodam signisque proiectis ac numerus signorum militarium, quae Caesar amiserit quaeque Caesar et Plutarchus triginta duo, Appianus duodetriginta numero fuisse tradit 5). Tum Caesarem Romae res urbanas ordinasse, congruenter enarrant; sed Appianus plura negotia ab eo confecta affert quam Caesar 6). Quum porro uterque affirmet, Pompeium apud Pharsalum suis praecepisse, ne se suo loco moverent, Caesar illud initio pugnae factum esse contendit, quod medio demum proelio Pompeianos iubente imperatore fecisse, scribit Appianus 7). Tandem ne omnia adducere videar, haud satis inter

1) Caes. *bell. civ.* I, 76. — App. 43.
2) Caes. *bell. civ.* II, 23, 35. — App. 44.
3) Caes. *bell. civ.* III, 47, 48. — App. 61.
4) Caes. *bell. civ.* III, 62-71. — App. 61, 92.
5) Caes. 69, 71. — Plut. *Caes.* 39. — App. 62.
6) Caes. *bell. civ.* III, 1. — App. 48.
7) Caes. *bell. civ.* III, 92. — App. 79. — Cf. Schweigh. III, p. 763.

utrumque convenit de numeris copiarum et caesorum 1), neque Grastini historia prorsus similiter ab iis narratur 2).

Liquet igitur, nisi me omnia fallant, Appianum Caesarem adiisse et multa ex eo deprompsisse, non vero ita ab eo pependisse, ut alios, subinde forte illius adversarios, audire supersederit. Quare omnino dissentio a Schweighaeusero, quo teste Appianus commentariis Caesaris nusquam usus esse videtur 3), et potius facio cum viro doct. Peter censente, Appianum iis magnam fidem habuisse 4). Quod iam apud omnes constare puto. Ne quis tamen arbitretur, Appianum Caesari temere credidisse et plus iusto obsecutum esse, alios citare locos lubet. Censeo enim, Appianum per totum hunc librum aliis quoque fontibus permultum tribuisse. Quod probare conabor et afferendis locis, ubi Appianus evidenter a Caesare discrepat, etvero demonstrando, Appianum non pauca memorare Caesari prorsus ignota.

Sequentia ergo varie narrantur: Si Caesarem audis, ipse legiones duodecim Brundusium venire iusserat 5), pro quo numero Appianus una cum Seneca decem 6), Florus undecim legiones 7) habet. Quod maius est, Caesar saepissime mentionem facit de legatis pacis reconciliandae causa et Roma, et ex Illyria, et aliunde frustra a se ad Pompeium missis 8). Cuius pacis studii Cicero quoque meminit 9). Longe aliter Appianus, qui semel modo, et quidem initio belli, Caesarem de pace experiri maluisse testatur eumque primum amicis mandavisse, ut certis conditionibus pro se paciscerentur ait, mox vero ad senatum scripsisse perque Curionem novis consulibus literas reddidisse, quarum exemplum recenset 10). Appianus refert, Caesarem non aliis nisi onerariis navibus usum Brun-

1) Caes. *bell. civ.* III, 4 coll. cum App. 49. Cf. Drum. III, p. 478 sq. — Caes. 99 coll. cum App. 82.
2) Caes. *b. c.* III, 91, 99. — App. 82.
3) Schweigh. III, p. 763.
4) Peter, *Zeittaf. der Röm Gesch.*, p. 175, not. v.
5) Caes. *b. c.* III, 2. 6) Seneca *epist.* 104. — App. 49.
7) Flor. IV, 2 § 5.
8) Caes. *b. c.* I, 9, 24, 26, 32; III, 10, 19, 57, 58.
9) Cic. *ad Att.* VII, 13, 15, 19.
10) App. 32. Haec breviter perstringit ipse Caesar, *b. c.* I, 1.

dusio solvisse, longas enim Siciliae Sardiniaeque praesidio reliquisse 1), quamvis commentarius perspicue doceat, illum duodecim naves longas secum duxisse 2). Perperam Appianus tradit, Pompeium in pugna apud Pharsalum priorem signa canere iussisse 3), quod cum Caesaris diserto testimonio 4) pugnat. Denique Pompeius apud Caesarem ab Achilla et Septimio interfectus esse fertur 5), quem a Septimio, deinde a ceteris vulneratum tradit Appianus 6). Quibus argumentis plura eiusdem generis 7) probantia, Appianum sive aliter, sive minus copiose res descripsisse, adiicere haud gravarer, nisi modus adhibendus esset.

Propero igitur ad ea commemoranda, quae Appianus quidem recenset, sed apud Caesarem frustra quaeruntur. Ita Appianus verba illa, quae Caesar ad Rubiconem protulerit, exhibet 8); orationes Pompeii et Caesaris laudat 9); vocis notissimae, qua Caesar gubernatorem in mari Adriatico allocutus sit, meminit 10); quid utraeque acies apud Pharsalum secum reputaverint, fuse persequitur 11). Quorum nihil apud Caesarem exstat.

Caesarem excipiant duo opera, quorum argumentum cum commentario illo cohaeret, perinde ac ipse scriptor familiaritate cum Caesare coniunctus erat. Utrum autem hic scriptor Oppius, an Hirtius, an alius quidam nobis ignotus fuerit 12), quaerere nil attinet, sed nobis investigandum, num Appianus illos libros contulerit. Bellum Alexandrinum tam breviter absolvit Appianus, quippe singula in rerum Aegyptiacarum historia 13) accuratius tractaturus, ut opus de bello Africano ei hîc non magno usui fuisse, quivis intellexerit. At inspicere illum librum po-

1) App. 54. 2) Caes. *b. c.* III, 7.

3) App. 78. — Cf. Drum. III, p. 513, not. 38.

4) Caes. *b. c.* III, 93. 5) Caes. *b. c.* III, 104. 6) App. 85.

7) Cff. v. c. Schweigh. III, p. 752 ad c. 60 et Peter, *Zeittaf.* p. 177, not. *hh.*

8) App. 35. 9) App. 50, 51, 53. 10) App. 57. 11) App. 77.

12) Cff. Drum. III, p. 76; Bähr II, p. 45, 46.

13) Vid. App. *Bell. Civ.* II, 90; *Praef.* 14; *Bell. Mithr.* 114; *Bell. Civ.* I, 6; V, 1. — Cf. Schweigh. *Exercit.*, p. 26; *ad App.* III, p. 892-895.

tuit Appianus nonnullaque ex eo desumere. Quod eum revera fecisse credimus. Exemplo sit locus, ubi Iuba in suum regnum reversus Scipioni triginta elephantos reliquisse dicitur 1) aliusque de trecentis illis incolis Uticae, senatus nomine appellatis 2). Sed Appianum praeterea ad alios fontes confugisse, iterum discimus. Videmus enim, eum de Labieni temeritate deque vulnere eius equo inflicto paulo aliter referre 3) quam scriptorem belli Africani 4), qui etiam omisit, in proelio apud Thapsum quintae legionis milites elephantis se opponi poposcisse eoque impetrato egregie vicisse 5). Sed alia discrimina adsunt, v. c. de numero copiarum, quibuscum Iuba e regno suo ad Scipionem profectus sit 6) et de gladio in narratione de Catonis [morte, quem ab hoc in cubiculum illatum esse alter negat 7), alter affirmat 8).

Idem, quod de bello Africano diximus, valet de bello Hispaniensi. Cuius libri scriptor quod in quibusdam exponendis, ut de Scapula conscenso rogo se ipsum exurente, cum Appiano consentit 9), nobis pro documento est, hunc illum ob oculos habuisse. Verum hisce obstant tanta, in quibus enarrandis adeo inter se dissident, ut Appianum alios insuper testes invocasse, mihi facile persuadeam. Ut uno exemplo defungar, adeas utrumque scriptorem, Cnaei Pompeii postremos casus, fugam ac caedem referentem 10).

§ 6.

Appianus hoc libro nec Velleium Paterculum, nec Valerium Maximum, nec Asconium Pedianum, nec Lucanum, nec Suetonium, neque Plutarchum videtur adiisse.

Pervenimus ad quatuor scriptores, qui uti iisdem fere temporibus vixerunt, ita hoc inter se commune habere videntur,

1) *Bell. Afric.* 25. — App. 96. 2) *Bell. Afric.* 88, 90. — App. 95. 3) App. 95. 4) *Bell. Afric.* 16. 5) App. 96.
6) *Bell. Afric.* 48. — App. 96. Unde hic dissensus profluxerit, docet Drum. III, p. 588, not. 94.
7) App. 98. 8) *Bell. Afric.* 88. 9) *Bell. Hisp.* 33. — App. 105.
10) *Bell. Hisp.* 38, 39. — App. l. l.

ut Appiano nulli vel non magno usui fuerint. Volo Velleium Paterculum, Valerium Maximum, Asconium Pedianum, Lucanum. Velleius nobis visus est ab Appiano in componendo libro primo non saepe collatus esse 1). Idem hîc rursus apparet. Etsi enim quaedam congruenter ab utroque scriptore commemorantur, v. c. nullum unquam atrocius periculosiusque a Caesare initum proelium quam pugnam apud Mundam 2), hisce paucis tot tantaque discrepantia opponi possunt, ut quisque mecum sentire debeat, Appianum sua non e Velleio hausisse. Nam si eum adiisset, haud aliter ac Velleius de lege Iulia locutus esset 3). Nescio porro, cur alius aliis verbis ea, quae in senatu acta sint, narraverit, quum de summa rei consentiant 4), si Velleius Appiano innotuerit? Verum haec levia fortasse aestimantur aliaque afferenda. Varie igitur uterque scriptor de Curionis moribus animoque agit 5). De summa pecuniae, quam Curio a Caesare acceperit, scribit Velleius „id gratis, an accepto centies sestertio 6) fecerit (Curio), ut accepimus, in medio relinquemus" 7) quum Appianus diserte dicat, Curionem aliquanto maiore mercede quam Paulum inductum esse, ut Caesari operam navaret 8). Quamquam Velleius nomina quatuor amicorum exhibet, quibuscum Pompeius e campo Pharsalico profugit 9), illa tacuit Appianus 10). Idem prorsus a Velleio dissentit de pecuniae summa a Caesare Romae traducta 11), cuius discriminis causam aperit Drumannus 12). Quod maius est, Velleius 13), non vero Appianus, P. Clodium acerrime perstringit, et Caesarem ait non caruisse suspicione oppressi Ciceronis. Tandem Velleius nihil a Caesare relictum, quod servandae pacis causa tentari posset, testatur 14), cuius pacis studii Appianum fere immemorem fuisse invenimus 15).

Sequatur Valerius Maximus, de quo paucissima monere

1) Vid. supra p. 19 sq. 2) Vell. Pat. II, 36. — App. 104.
3) Vell. Pat. II, 44. — App. 10. Cf. Drum. III, p. 197.
4) Vell. Pat. II, 49. — App. 32. 5) Vell. Pat. II, 48. — App. 26.
6) Cff. interpret. ad Vell. Pat. ed. Kritz. et Drum. III, p. 387.
7) Vell. Pat. l. l. 8) App. l. l. 9) Vell. Pat. II, 53.
10) App. 81. 11) Vell. Pat. II, 56. — App. 102.
12) Drum. III, p. 613, not. 23. 13) Vell. Pat. II, 45.
14) Vell. Pat. II, 49. 15) Vid. supra p. 47.

sufficiat 1). Non multa reperiri credo consentienter ab hoc et ab Appiano exposita: si quae vero sint, haec ex uno eodemque fonte, e Livio 2), profecta esse censeo. Sed pluribus locis hi scriptores inter se dissentiunt, e. g. ubi de Curionis aere alieno loquuntur 3) ubive Appianus perperam Minucio tribuit 4), quod a Valerio recte Scaevae adscribitur 5).

Neque idonea causa adest, cur putemus, Appianum Asconium Pedianum fontem habuisse, quum hic teste Madvigio 6) et alios, etvero Livium secutus sit, quem Appiano quoque profuisse opinamur 7). Quae opinio comprobatur, si Asconium Appiano componimus. Exemplo sit locus de Clodio a Milone occiso. Ibi quidem plura habet Appianus 8), quae non secus leguntur apud Asconium 9), sed ecce nonnulla, quae Appiano incognita ab Asconio traduntur: Birriam Clodii humerum romphaea traiecisse; Milonem Clodium vulneratum taberna exturbari iussisse; Tedium senatorem corpus in via relictum sustulisse et lectica sua Romam ferri iussisse. Probe novimus, Appianum pro consilio suo uni rei commemorandae tamdiu immorari nequivisse, ut tantilla exponeret, sed nihil eum vetuit, quominus unum alterumve ex Asconio depromeret, dummodo hunc revera ante oculos habuerit. Quod ita fuisse negamus, quum praeterea animadvertamus, Appianum perperam referre, Caesarem Novumcomum iure Latii donavisse 10), etiamsi ex Asconio discere potuisset, Cn. Pompeium Strabonem id fecisse 11) eumque e reorum numero Saufeium, quem Asconius citat 12), eximere 13), et leges nonnullas Clodii ab Asconio memoratas omittere 14), neque causas adiicere, cur Pompeius consul absque collega creatus sit, quum Asconius

1) Vid. supra p. 22. 2) Wilm., p. 18.
3) Val. Max. IX, 1 § 6. — App. 26. — Cf. Riedel, IV, p. 359, not.
4) App. 60. 5) Val. Max. III, 2 § 23. — De ipsa re infra.
6) Madv., *de Ascon. Pedian.*, p. 63 sq. 7) Vid. supra p. 34 sq.
8) App. 21. — Cf. v. Limburg Brouwer, *Cesar en zijne tijdgen.* III, p. 85.
9) Ascon. *in Milon.*, p. 33, 34 ed. Or. 10) App. 26.
11) Ascon. *in Pison.*, p. 3 ed. Or. — Cf. Drum. III, p. 218, not. 77.
12) Ascon. *in Milon.*, p. 54. 13) App. 24.
14) Ascon. *in Pison.*, p. 9.

doceat, visum esse optimatibus, mala civitatis non aliter sedari posse 1).

Nemo sane crediderit, Appianum, cui ad opus suum conscribendum tanti scriptores optimae notae praesto essent, ad Lucanum poetam recurrisse. Neque nos illud arbitrantes mentionem de Lucano intulimus, sed hoc urgere voluimus, Appianum fere ubique res aliter quam illum enarrare. Argumento haec sunto: Lucanus male Lentulum sinistro cornu aciei Pompeianae 2), Appianus dextro praefuisse recte scribit 3). Idem Pompeii iter in Aegyptum fuse persequitur 4), quod Appianus summatim attingit 5). Hic Ptolemaei curatores de Pompeii fato deliberantes inducens sententiae Achorei aulici auctore Lucano 6) clementiam suadentis haud meminit 7).

Proxime a Lucano vixit Suetonius Tranquillus. Qui quum saepe iniquus in Caesarem sit 8), res bellicas breviter absolvat 9), res vero domesticas quaeque ad Caesaris personam spectant fusius describat 10), Appianus e contrario aliam viam inierit, iam inde elucet, hunc non multum e Suetonio haurire potuisse 11). Consensum, qui forte uno alterove loco inter eos exstet, inde ortum esse putaverim, quod passim eundem fontem, Caesarem dico, adierint 12). Discrimina omnia recensere supervacaneum est. Quaedam modo indicabo. Suetonius narrat, Caesarem fratrem Ciceronis ad suam sententiam de sociis Catilinae coniurationis non interficiendis transduxisse 13), quod non habet Appianus. Hic supprimit iocum nonnullorum urbanorum, rem quandam non Caesare et Bibulo, sed Iulio et Caesare coss. actam scriben-

1) Ascon. *in Milon.*, p. 35, 37 coll. cum App. 23.

2) Lucan. VII, 218. — Cf. Drum. III, p. 511, not. 14.

3) App. 76. 4) Lucan VIII, 210 sq. 5) App. 83.

6) Lucan. VIII, 475 sq. 7) App. 84. 8) Cf. Drum III, p. 220, 221.

9) Cf. de bello civili inter Caesarem et Pompeium ac Pompeianos Suet. *Caes.* 34-36 cum App. 38-105.

10) Suet. *Caes.* 37-76 coll. cum App. 106, 149-154.

11) Egger p. 265: „Suétone a son genre à part, comme Plutarque et Appien, auteurs du même temps, qu'il ne paraît pas avoir connus, et qui ne paraissent pas l'avoir connu davantage."

12) Cf. Schweiger, p. 6. — Vid. supra p. 45 sq.

13) Suet. *Caes.* 14 coll. cum App. 6.

tium 1). Plane differunt in exponendo Caesaris itinere e Gallia Ariminum versus 2) et in enarranda eiusdem caede, ubi de paucis tantum inter eos convenit 3). Plura a Suetonio tradita haud apud Appianum leguntur, e. g. Bibulum Caesarem probris laceravisse 4), hunc in primo consulatu tria millia pondo auri furatum esse, tandumdem inaurati aeris reposuisse 5), alia.

Unus superest Plutarchus, nam Florum supra attigimus. Praeter vitas Caesaris et Pompeii a Plutarcho concinnatas, vitae Catonis Minoris, Crassi, Ciceronis et Bruti hîc in censum veniunt. Quibus sedulo cum Appiano collatis idem atque libro primo hîc obtinere censeo. Ubique quaedam, sed exigua similitudo inter Plutarchum et Appianum intercedit, verum plurima varie traduntur. Neque enim mirum, caput rei, ut ita dicam, apud ambos congruenter tradi, quum verisimillimum sit, iis partim eosdem fontes, uti Pollionem 6), Caesarem 7), Livium 8), fuisse. Sed Appianus ipsum Plutarchum ob oculos habuisse nequit cum propter magna discrimina, quae inter eos exstant, tum quia alter alteri haud uno loco aperte contradicit, tumvero quoniam, licet idem narrent, alius aliis verbis utitur.

Loci, in quibus exiguum consensum, multum discriminis videas, sunt:

Plut. Caes. 11 et App. 8, ubi agitur de Caesaris aere alieno 9).
„ „ 13 „ „ 8, „ „ „ Caesaris triumpho.
„ „ 14, Pomp. 46, 47 et App. 10, ubi agitur de Caesare Pompeium et Crassum rogante, quid de suis legibus sentirent et de Bibulo domi manente.

Cf. porro Plut. Caes. 20, 21 cum App. 17.
„ „ 29 „ „ 25.
„ „ 33 „ „ 36, 37.
„ „ 36 „ „ 42, 43.

1) Suet. *Caes.* 20 coll. cum App. 12.
2) Suet. *Caes.* 31, 32 coll. cum App. 35.
3) Cf. Suet. *Caes.* 82 cum App. 117. — Cf. porro de Iubae copiis Suet. *Caes.* 66 cum App. 96 et Suet. *Caes.* 19 cum App. 9 de tempore triumviratus initi.
4) Suet. *Caes.* 9, 49. 5) Suet. *Caes.* 54.
6) Heeren, p. 136. 7) Ibid. p. 116. 8) Heeren, p. 136.
9) Scilicet, illud de quo agi identidem dico, similiter narratur; cetera discrepant.

Cf. porro Plut.	Caes.	37		cum App.	48.
„	„	38		„ „	57.
Cf. Plut.	Caes.	39,	Pomp. 65	cum App.	61, 62.
„	„	41		„ „	65, 67 1).
„	„	44,	„ 69, 71	„ „	76, 82.
„	„	45		„ „	78, 81.
„	„	60		„ „	107, 108.
„	Pomp.	58		„ „	26.
„	„	59		„ „	31.
„	„	60		„ „	32.
„	„	68,	Caes. 23	„ „	68.
„	„	72		„ „	81.
„	„	72		„ „	82.
„	„	77		„ „	84.
„	„	78		„ „	85.
„	Cic.	16		„ „	3.
„	„	30-33		„ „	15, 16.

Raro omnino conspirat Appianus cum Plutarcho. Congruenter tamen referunt, Caesarem nonnihil suspectum fuisse, tanquam Catilinae coniurationis participem 2). Vid. porro: Plut. Caes. 44, Pomp. 69 et App. 79; Plut. Pomp. 61 et App. 36.

Idem narrans uterque suam sententiam diverse exprimit in depingenda Romae conditione 3) atque ubi de iis sermo est, quae exercitus utrimque secum reputaverint 4).

Alter cum altero aperte subinde pugnat, nam Plutarchus scribit, Artemidorum Caesari indicium eorum, quae agerentur, attulisse, Appianus vero narrat, Artemidorum in curiam accurrentem Caesarem iam occisum offendisse 5).

Denique prorsus alio modo rem exponunt his locis:

Plut. Caes.	34. —	App.	38.
„ „	35. —	„	41.
„ „	51, 52, 53, Cato Min. 69 sq. —	„	95-100.

1) Cf. v. Limb. Brouwer, *Ces. en zijne tijdgen.* III, p. 385.

2) Plut. *Caes.* 7, 8. — App. 6, 7. 3) Plut. *Caes.* 22. — App. 19, 20.

4) Plut. *Pomp.* 70. — App. 77. — Cf. porro Plut. *Caes.* 14 et App. 14.

5) Plut. *Caes.* 65. — App. 116.

Plut.	Caes.	56.	—	App.	103-105.
„	Pomp.	48, 49.	—	„	16.
„	„	61.	—	„	37.
„	„	62.	—	„	41.
„	Cic.	16.	—	„	3.
„	Cato Minor	32, 33.	—	„	11, 12.
„	Brut.	17.	—	„	117.

E collatione huius postremi loci cum Plutarcho, qui teste Heereno 1) hîc Empylum secutus est, simul probatur, me vere coniecisse, Appianum Empyli commentarium haud contulisse 2).

§ 7.

Fontes, ad quos Appiani liber secundus redit, strictim in mentem revocantur.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, satis elucet, Appiani librum secundum bonis fundamentis superstructum esse. Usus est enim, ut ipse ostendit, tum Pompeii et Caesaris epistolis, tum Antonii et Bruti orationibus, tumvero Asinii Pollionis historiis. Coniectura assequi licet, eum Tanusium Geminum et Octaviani commentarios inspexisse. Perspicua Livii librorum deperditorum vestigia in eo conservari nobis visa sunt. In Catilinae coniuratione conscribenda procul dubio Sallustium praesertim sibi praeeuntem habuit, neque verisimiliter Bruti opus de laudibus Catonis neglexit. Caesaris orationes et commentarium de bello civili eum adiisse, sed ita ut simul alios auctores contulerit, idoneis argumentis nisi perhibuimus. Quaedam ab Appiano tradita e libro de bello Africano atque Hispaniensi promanasse, ipsa res nos docuit, quamquam libris illis haud multa accepta referre videtur.

Ecce seriem satis magnam fontium, e quibus constat, Appianum sua hausisse. Plures vero esse scriptores, de quibus, num eidem duces exstiterint, dubii haeremus, probe novi-

1) Heeren, p. 124. 2) Vid. supra p. 33.

mus. Sed quum in his non pauci sint, qui sive ob partium studium, sive propter exiguum pretium scriptionum suarum iure non tanti aestimantur, quanti illi, e quibus Appianus sua collegit, fructus investigationis nostrae haud uberiores esse, ne nimis doleamus.

CAPUT III.

§ 1.

Quo redeat argumentum libri tertii, quarti, quinti declaratur. — Quinam ante Appianum eadem tempora descripserint, quaeritur. — Appianus non videtur contulisse Iulium Marathum, Aquilium Nigrum, Saturninum, Asclepiadem Mendetem, C. Drusum, Bibulum jr., Cassium Parmensem, Verrium Flaccum, M. Bruti epistolas, Corn. Nepotem. — Appianum Cordi Cremutii annales consuluisse puto.

Appianus reliqua bella civilia enarrare pergens libro tertio, quarto, quinto exponit, quomodo Caesaris percussores poenas dederint quîque Romanum imperium in monarchiam sit mutatum. Quorum librorum argumentum quum unum sit, quaestionem de scriptoris fontibus in his libris uno capite absolvere conabor. Res autem ita persequitur Appianus, ut libro tertio in primis bellum Mutinense et Decii Bruti exitum describat, tum quarto libro exponat, quî Cassius Longinus et Marcus Brutus sublati sint, denique quinto tradat, Sex. Pompeium, Magni filium, et Antonium victos, et Octavium omni imperio Romano potitum esse. Qui quidem liber, ut ipse declarat' scriptor 1), in succinctam per Augustum devictae Aegypti historiam 2) desinit. Verum ultima libri quinti pars prorsus interiit, neque ex eo quidquam ultra Sex. Pompeii mortem discimus.

Auctorum, quos secutus sit, nomina nusquam fere exhibet Appianus. Dicit quidem saepius, se ad plures, ad Romanos etiam, recurrisse scriptores 3), provocat quoque ad rumores 4),

1) App. Praef. 14.; *Bell. Civ.* I, 6; V, 1.
2) Cf. Schweigh. III, p. 856. 3) App. III, 77, 84; IV, 16; V, 144.
4) III, 39; V, 133.

sed ipsos fontes vulgo haud indicat. Soli enim testes, quos citat, sunt Octavii commentarii et Libo quidam, scriptor aliunde ignotus 1). Neque quis mihi obiiciat locum, ubi Appianus ostendit, sibi innotuisse Ciceronis Philippicas 2), quippe qui non addat, se eas evolvisse. Ut vero putamus, Appianum multa scripta adhibuisse, ita passim videmus, eum etiam monumenta illitterata et litterata anquisivisse et inspexisse. Ita fortasse vidit sepulcrum Arriani proscripti, cui haec incisa erant: „hîc situs est quem proscriptum filius non proscriptus celavit fugaeque comes et salutis auctor fuit" 3). Sibi ob Ciceronis caedis memoriam libuisse ait, illius villam, prope quam interfectus sit, Formianum, invisere 4). Accurate describit statuam auratam post Sex. Pompeii cladem in honorem Octavii in foro positam hoc titulo: „pace post diuturnas turbas terra marique restituta" 5).

Monumenta litterata, quae scriptor ob oculos habuit, sunt: clara illa proscriptionis formula ab Antonio ceterisque triumviris promulgata, teste Eggero mira arte ab Octavio conscripta 6), quae tota apud Appianum legitur 7), sed Dioni Cassio incognita fuisse videtur 8); foedera Romam inter et Rhodum icta, quorum monumenta aeri incisa apud Romanos exstare Archelaus legatus in oratione ad Cassium dicit 9); denique senatusconsulta 10) et triumvirorum edicta 11) atque epistolae, quae frequenter laudat.

Tempora, quae Appianus his tribus libris tractat, a multis conscripta erant, quorum vero opera magna ex parte nobis eripuerunt fata. E quibus aut plane aut partim deperditi sunt: Asinius Pollio, Messala Corvinus, Corn. Nepos, Antonius, M. Bibulus, Volumnius, M. Brutus, Iulius Marathus, Cassius Parmensis, Aquilius Niger, Iunius Saturninus,

1) App. III, 77. — Cf. Schweigh., qui in annot. ad h. l.: „possit aliquis suspicari, ait, Λιβίῳ pro Λίβωνι fortasse scripsisse Appianum."

2) App. IV, 20. 3) App. IV, 41. — Cf. Egger *Examen*, p. 91 et 251. 4) App. IV, 19.

5) App. V, 130. — Cf. III, 51 et *de reb. Ital.* lib. II, fr. 8. — Vell. Pat. II, 61. 6) Egger, p. 16, 17. 7) App. IV, 8-11.

8) Egger, p. 92, 304. 9) App. IV, 67.

10) App. III, 51, 63, 74. 11) Ibid. III, 81; IV, 31, 32.

Asclepiades Mendes, C. Drusus, Verrius Flaccus, T. Livius, Octavius, M. Vipsanius Agrippa, Cremutius Cordus. Supersunt vero hi, quos Appianus in usum suum convertere potuit: Frontinus, Cicero, Velleius Paterculus, Valerius Maximus, Suetonius, Plutarchus, Florus.

Inter illos, quos primo loco attuli, multi sunt, quorum ne nomen quidem apud Appianum invenitur. Quum insuper inter paucissima eorum fragmenta et libros de bellis civilibus nulla intercedat similitudo, omnia ita comparata sunt, ut non suadeant, Appianum eos ante oculos habuisse. Itaque non usus esse videtur Iulio Maratho, Augusti liberto, qui de Augusti rebus libros quosdam scripsit et a Suetonio solo laudatur 1), neque Aquilio Nigro, Augusti adversario, de cuius scriptis nil constat quemque ex uno Suetonio novimus 2), neque Saturnino, scriptore aeque incognito, item Augusti inimico, quem tempora triumviratus enarrasse, e Suetonio patet 3), neque Asclepiadis Mendetis aut C. Drusi scriptis, quorum ille opus quoddam titulo *θεολογουμένων* composuit 4), hic filius Tiberii esse videtur 5), neque tandem Bibuli, alterius Bibuli 6) filii, libello, *ἀπομνημονευμάτα* Bruti continente 7), quem Plutarchus adiit.

Nihil porro probat, Appianum Cassium Parmensem, unum e percussoribus Caesaris, qui teste ipso Appiano serius ad Antonium transiit 8) quique Augustum epistolis suis acerrime laceravit 9), adhibuisse. Idem dicendum est de Verrio Flacco 10) et de M. Bruti epistolis, ad Samios, ad Ciceronem, ad alios scriptis, e quibus, si Heerenum 11) audis, Plutarchus maxime animo suo ideam informavit, quam de Bruti indole concepit. Neque credo, vitas Nepotis Appiano praesto fuisse, siquidem quae in vita Attici de Fulvia 12) et de Gellio Cano

1) Suet. *Aug.* 79, 94. — Cf. Schweig., p. 14. 2) Suet. *Aug.* 11.
3) Suet. *Aug.* 27. 4) Ibid. 94.
5) Ibid. 94, 100. — Cf. Schweiger, p. 17. 6) Vid. supra p. 31.
7) Heeren in Comm. Gott. Rec. IV, p. 124. — Drum. II, p. 106. — Bähr II, p. 82. 8) App. V, 2, 139. 9) Suet. *Aug.* 4.
10) Cff. Wilm., *de Dion. Cass. font. et auctor.*, p. 25 et Dorn Seiffen, *de Sex. Pomp. Magno*, p. 12.
11) Heeren, p. 123. 12) Nep. *Att.* 9.

e proscriptorum numero exemto 1) memorantur quaeque Suetonius auctore Nepote narrat de Augusto in castris apud Mutinam non amplius ter super coenam bibere solito 2) nequaquam apud Appianum inveniuntur. Cordi tandem Cremutii annales 3) num Appianus usurpaverit, non liquet. Verum quamquam omnibus indiciis caremus, ad affirmandum potius quam ad negandum propensi sumus, quoniam, ut Dio ait 4), Cordus de Augusti rebus sine ira et studio exposuit, licet a partibus adversariorum steterit. Tales enim auctores eligere solet Appianus.

§ 2.

Appianus sedulo usus est Asinio Pollione et Octavii commentariis, sed eiusdem epistolas et monumentum Ancyranum eum inspexisse, haud affirmo. — Verisimillimum est, eum Messalam Corvinum, M. Antonii epistolas, P. Volumnium et M. Vipsanii Agrippae commentarios adiisse. — Senatusconsulta, triumvirorum edicta, foedera saepe laudat.

Transeo ad scriptores nonnullos, quos ab Appiano in partes vocatos esse, etsi de omnibus affirmare nequeo, tamen haud cunctis destitutus indiciis coniicere audeo. His adscribendus Asinius Pollio, quem quanti Appianus fecerit supra vidimus 5) cuiusque historiis eum sedulo usum fuisse, inde colligere licet, quod de Pollionis clade, quam Dio uberrime exponit, nihil tradidit 6) quodque ipse Pollio eorum, quae Appianus his libris complectitur, pars magna fuit 7).

Saepius apud Appianum occurrit nomen M. Valerii Messalae Corvini, qui sub Augusto consul et praefectus urbi fuit. Num commentarios historicos, in quibus belli inter triumviros ac Caesaris interfectores historiam enarravit et ultima Cassii et Bruti fata accurate descripsit, ad Augusti tempora deduxerit, incertum est 8). Ad quem eiusdem librum referenda sint,

1) Ibid. 10. 2) Suet. *Aug.* 77. 3) Cf. Schweiger, p. 16.
4) Dio Cass. LVII, 24. 5) Vid. supra p. 30. 6) Dio Cass. XLV, 10.
7) App. III, 46, 74, 97; IV, 27; V, 20-23, 64.
8) Heeren, p. 125. — Schweiger, p. 14. — Bähr II, p. 84.

quae Suetonius ex eo hausit 1), in medio est relinquendum. Sed e commentariis illis procul dubio profluxerunt quae Plutarchus in vita Bruti multis locis auctore Messala refert. Quae quamquam non omnia apud Appianum exstant 2), consensus tamen eum inter et Plutarchum cernitur. Ubi enim hic in priore pugna apud Philippos tradit, e Bruti et Cassii exercitu connumeratis servis octo millia cecidisse, ex hostibus vero Messalam bis totidem vel amplius arbitrari desideratos 3), Appianus scribit: „desiderata sunt, quantum coniecturis assequi licuit, Cassianorum octo millia cum servis armigeris, duplo plura in exercitu Caesaris et Antonii" 4). Pariter de Stratone, Bruti amico, inter se congruunt 5). Denique Plutarchus, ut mox apparebit, in Bruti vita plura e Messala hausta exponit, quae fere eodem modo ab Appiano traduntur, ob quem consensum haud absurdum puto credere, Appianum Messalae Corvini historiam evolvisse 6).

M. Antonium in edictis et epistolis probra et maledicta in Octavium congessisse, Cicero et Cordus Cremutius nos docent 7). Qualia scripta Suetonius saepe consultavit, Appianum vero sprevisse existimo. Sed alias eiusdem litteras eidem in manibus fuisse inde efficio, quod semel ad earum argumentum respicit 8).

Tutius statuere licet, Appianum vestigia pressisse P. Volumnii Bruto iam a pueritia coniuncti et belli civilis testis oculati, qui Bruto usque ad extremum diem fidissimus adhaesit comes. Num Volumnius graece an latine scripserit quove titulo opus suum ediderit, nescimus, sed argumentum libri fuisse bellum contra triumviros, e Plutarcho, qui eum saepius laudat 9), constat. Eius haud meminit Appianus, sed quum Plutarchus ex eo fabulas de duabus aquilis sub alteram apud Philippos pugnam medio inter utramque aciem spatio concurrentibus ac de apum examinibus Cassii castris adhaerentibus 10) et Bruti

1) Suet. *Aug.* 58, 74. 2) Plut. *Brut.* 40, 42, 45.
3) Plut. *Brut.* 45. 4) App. IV, 112.
5) Plut. *Brut.* 53. — App. IV, 131. 6) Cf. Dorn Seiffen, p. 12.
7) Cic. *Phil.* III, 6 et XIII, 9. — Tac. *Ann.* IV, 34. — Cf. Schweiger, p. 15. 8) App. III, 96. 9) Heeren, p. 124, 125.
10) Plut. *Brut.* 48.

mox interituri verba „Iupiter, ne te effugiat auctor horum malorum 1) hauserit, Appianus autem prorsus eadem tradat 2), nullus dubito, quin idem multa alia a Volumnio mutuatus sit.

Num Agrippae commentariis de vita sua 3) multum debuerit Appianus, dubitat Dorn Seiffen, quum brevissime de imperio classis ei oblato, nec quidquam de Agrippae egregio opere, quo Avernum et Lucrinum lacum cum mari coniunxerit, memoret 4). Quod ita esse fateor, sed inde nondum sequi puto, hos commentarios ab Appiano haud inspectos fuisse. Nihil enim prohibet, quominus opinemur, Appianum, qui fontium indicandorum tam parcus sit, illum scriptorem in auxilium advocasse, cuius ipsius res gestas satis accurate persecutus est 5), quique toto animo a partibus Augusti stabat et prae aliis facinora et consilia huius triumviri scire debebat. Sane constat, Appianum Augusti apud Philippos aegrotantis ita meminisse 6), ut valde cum iis consentiat, quae teste Plinio 7) Agrippa et Maecenas in suis commentariis conscripserant.

In ultimis fatis reipublicae exponendis Appiano magis quam omnes, quos attulimus, scriptores placuisse necesse est commentarios illius viri, quem et fortuna et ingenium summis totius orbis terrarum rebus ordinandis praefecerant, Augustum dico. Cuius commentarii si superstites fuissent, melius de multarum rerum studio et ira obvelatarum causis diiudicare possemus, quamquam negari nequit, nullum fere scriptorem plus critici acuminis requisiturum esse. Quanti vero momenti Augusti commentarii essent, perbene sensit Appianus, nam quod fere nunquam facit, in his tribus libris bis ad eorum provocat auctoritatem 8).

Conscripti erant latine, ut fragmenta docent, et tredecim libris res Augusti a puero 9) Cantabrico bello tenus nec

1) Ibid. 51. 2) App. IV, 128, 134, 130.
3) Cf. Wilmans, p. 20. 4) Dorn Seiffen, p. 11.
5) App. V, 32, 50, 57, 92, 105 et alibi. — Vid. e.g. infra p. 62.
6) App. II, 108. 7) Plin. *Hist. Nat.* VII, 45.
8) App. IV, 110; V, 45.
9) Suet. *Aug.* 2. — Cff. Schweiger, p. 12. — Wilmans, p. 21. — Egger, p. 16.

ultra 1) amplectebantur. Quanta religione Appianus hos commentarios perscrutatus sit, e libro de rebus Illyricis liquet 2), ubi dicit: „*τὰ μὲν δὴ πάλαι τοσαῦτα περὶ Ἰλλυριῶν καὶ Παιόνων ἔσχον εὑρεῖν. ἐν δέ τοῖς ὑπομνήμασι τοῦ δευτέρου Καίσαρος, τοῦ κληθέντος καὶ Σεβαστοῦ, παλαιότερον μὲν οὐδὲν οὐδ' ἐν τοῖςδε περὶ Παιόνων εὗρον.*" Ex iisdem commentariis, ut ipse Appianus testatur, petita est narratio de somnio, quo Octavius in priore pugna apud Philippos monitus est, ut caveret illum diem 3) et haustum est colloquium ab Octavio ad Perusiam cum L. Antonio habitum 4). Quamquam confiteor, Appianum loco priore rem nimis obiter absolvisse. Sed ne putes, nihil amplius ex eodem fonte depromptum esse. Verum enimvero aut fallor, aut ad idem opus redeunt quae Appianus tradit de consiliis Octavio ab amicis, a matre et a vitrico Philippo datis 5) deque colloquiis inter eos habitis 6); de causis inimicitiae inter Antonium et Octavium 7); de iisdem viris saepe contendentibus, saepissime quoque secum invicem in gratiam redeuntibus 8); de Octavio secum reputante, quomodo senatus sua abutatur opera contra Antonium, tantisper dum illum e medio sustulerit 9); de centurionibus Octavio consulatum petentibus et cum senatoribus rixantibus 10); de bello Perusino 11); de causis, cur Octavius Sex. Pompeium haud persecutus sit 12).

Haec pauca e multis esse, quae e commentariis ducta sint, nemo facile negaverit. Sed alia exstant praeterea documenta, quae luculentius probant, quantam fidem Appianus illi operi habuerit. Narrat enim Suetonius, Octavium suspicatum, Q. Gallium praetorem in officio salutationis tabellas duplices veste tectas tenentem gladium occuluisse, nec quidquam statim, ne aliud inveniretur, ausum inquirere, paulo post per centuriones et milites raptum e tribunali, servilem in modum torsisse; ac fatentem nihil iussisse occidi, prius oculis eius

1) Suet. *Aug.* 85. — Suidas s. v. *Αὔγουστος.*
2) App. *Illyr.* 14. — Cf. *ibid.* 19, 20.
3) App. IV, 110. — Cff. Plut. *Brut.* 31, *Ant.* 22; Dio Cass. XXVII, 41.
4) App. V, 45. 5) App. III, 10. 6) III, 13, 14.
7) III, 21. 8) III, 30, 39; IV, 2, 3; V, 60-64, 92. — Cf. Egger, p. 272.
9) App. III, 64. 10) App. III, 88. 11) App. V, 30, 41-45. 12) V, 127.

sua manu effossis. Quibus expositis scriptor addit: „quem tamen scribit (Octavius) colloquio petito insidiatum sibi coniectumque a se in custodiam, deinde urbe interdicta dimissum, naufragio vel latronum insidiis periisse 1)." Appianus autem famam Octavio maxime faventem secutus refert, per eosdem dies Q. Gallium, fratrem Marci versantis apud Antonium, tunc urbanum praetorem, quum Caesarem convenisset, ut ab eo ex praetura Africam provinciam peteret, vitae Caesaris visum esse insidiari; quam ob causam a collegis praetura submotum esse domumque eius diripuisse populum et senatum capitalem in eum protulisse sententiam. Caesarem autem eum iussisse ad fratrem abire; sed Gallium nave conscensa nusquam postea comparuisse 2). — Tum e commentariis repetita videtur proscriptionis illa formula, quam attulimus 3). Ut saevitiae culpam, quam ab aliis Octavio tributam esse Suetonius 4) et Dio 5) docent, ab eo amoliatur Appianus, secundum eiusdem commentarios narrationem exhibet Cestii Perusini, hominis non satis sanae mentis, qui Perusia capta suisque aedibus incensis omnem urbem fano Vulcani tantum excepto incendio deleverit 6). Denique sive eidem fonti, sive Agrippae scriptis deberi arbitror proelii inter Agrippam et Democharim descriptionem, de quo Appianus mire cum Dione conspirat 7).

Num Appianus Octavii epistolas, quarum multas a manu ipsius Octavii scriptas se vidisse affirmat Suetonius 8), inspexerit, decerni non potest. Eodem modo de monumento Ancyrano ambigo, utrum Appianus ex eo nonnulla desumserit, necne. Quod tamen mihi cogitanti, Octavium hoc monumento potissimum res pace gestas et quomodo rempublicam ordinaverit posteritati tradidisse 9) eiusque brevitatem respicienti, et ad Appiani silentium de indice illo attendenti, potius negandum quam affirmandum videtur. Accedit, quod commentarii multo uberior fons erant scriptori in primis narranti, quomodo unus vir

1) Suet. *Aug.* 27.
2) App. III, 95. — Cff. Schweigh. ad h. l.; Schweiger, p. 13 et Egger, p. 18. 3) Vid. supra p. 58. 4) Suet. *Aug.* 18.
5) Dio Cass. XLVIII, 14. 6) App. V, 59. — Cf. Schweigh. ad h. l.
7) App. V, 106-103. — Dio XLIX, 3, 4. — Cf. Dorn Seiff., p. 22.
8) Suet. *Aug.* 71, 87. 9) Egger, p. 31.

ad summum totius orbis terrarum arbitrium provectus sit. Si tandem nobiscum reputamus, uni alterive Appiani loco forte cum monumento Ancyrano consentienti 1) tot tantaque opposita esse, quae apud alios scriptores exstantia ex illo repetita esse videntur 2) et ab Appiano omissa sunt, quivis meae sententiae haud gravatim accedet.

Quod reliquum est, et senatusconsulta 3), et triumvirorum edicta 4), etvero foederum conditiones 5) pluribus commemorat Appianus, ita ut iure opinari videamur, eum haec saepissime ob oculos habuisse.

§ 3.

Appianus sua partim e Livio repetivit. — Idem saepe cum Valerio Maximo et cum Floro conspirat.

Livius rursus inter auctores Appiani nominandus est. Supervacaneum est, nunc multa exempla similitudinis, quae inter illius fragmenta et Appianum intercedit, afferre. Nam cur hic ob eo, quem antea secutus est, hîc recesserit, idonea causa non suppetit. Pauca igitur, quae sequuntur, sufficiant. Congruenter ambo narrant, multos e militibus seditiosis a M. Antonio trucidatos esse et ob eiusdem saevitiam legionem quartam et Martiam signa ad Octavium transtulisse 6); Trebonium in Asia fraude Dolabellae occisum esse 7); senatum post bellum Mutinense quasi sublato iam Antonio Octavii militumque eius mentionem non satis gratam habuisse 8); Octavium consulem legem tulisse de quaestione habenda in eos, quorum opera C. Caesar occisus esset 9); Stratonem post alteram apud Philippos pugnam gladium infixisse in latus Bruti amici nec aversantis, nec praebentis 10).

1) Cf. Drum. I, p. 239, n. 32.
2) Cff. Schweig. p. 13, 14 de pluribus Suetonii locis et Wilm. p. 22, 23 de Dione. 3) III, 51, 63, 74. 4) IV, 31, 32.
5) App. IV, 2; V, 3, 20, 72. — Cf. *Syr.* 39.
6) Liv. *ep.* 117. — App. III, 43-45. 7) Liv. *ep.* 119. — App. III, 26.
8) Liv. *ibid.* — App. III, 74. 9) Liv. *ep.* 120. — App. III, 95.
10) Liv. *ep.* 124. — App. IV, 131.

Sunt tamen apud Appianum plures loci testantes, eum a Livii auctoritate non semel defecisse. Hic Amatium se C. Marii filium ferre scribit, qui ab Appiano Marii nepos haberi velle dicitur 1). Appianus D. Brutum Antonii iussu a quodam Gallorum dynasta Camillo interfectum esse ait 2), cui Livius aliud nomen substituit 3). Trecentos senatores, duo millia equitum in proscriptis fuisse, testatur Appianus 4), quum Livius tantum centum triginta senatores, plurimos equites habeat 5). Popillius Laenas, qui ab Appiano centurio vocatur 6), apud Livium legionarius miles audit 7).

Si quis vero talia scribarum negligentiae malit tribuere quam scriptorum dissensioni, alios citabo locos, ubi Livius aperte cum Appiano pugnat. Q. Cornificius, si Livium sequeris, in Africa T. Sextium, Cassianarum partium ducem, proelio vicit 8), quum Appianus contrarium evenisse memoret 9). Etsi Livius in gratiam Octavii retulerat, hunc Perusia dedita L. Antonio omnibusque eius militibus ignovisse, Appianus tradit, decuriones in carcerem missos et paulo post necatos esse 10). Livio narranti, Q. Salvidienum consilia nefaria contra Octavium molitum mortem sibi conscivisse contradicit Appianus, eum coargutum ab Octavio occisum esse affirmans 11). Consentientes dicunt, M. Brutum et Macedonia et Vatinii exercitu potitum esse, sed teste Livio Brutus vi ea in suam redegit potestatem 12), qua in re differt ab Appiano, qui Vatinium tres suas legiones tradidisse refert 13).

Nobis existimantibus, Appianum modo ad Livium confugisse, modo ei alios praetulisse, praesto sunt Livii asseclae, Valerius Maximus et Florus, quibus scriptoribus cum Appiano

1) Liv. *ep.* 116. — App. III, 2. 2) App. III, 98.
3) Liv. *ep.* 120. — Cf. Drak. ad h. l. 4) App. IV, 5.
5) Liv. *ep.* 120. 6) App. IV, 19.
7) Liv. *ep.* 120. — Ne quis talia discrimina iusto minoris faciat, addere placet sententiam viri doct. Haug, *die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreib. der Griech. neu untersucht*, p. 38: „Auf Einzelnheiten ist bei einer Quellenuntersuchung ein Hauptgewicht zu legen."
8) Liv. *ep.* 123. 9) App. IV, 56. 10) Liv. *ep.* 126. — App. V, 48.
11) Liv. *ep.* 127. — App. V, 66. 12) Liv. *ep.* 118.
13) App. IV, 75.

collatis idem concludere licet. Nam Valerius Maximus, qui Appiani instar in percurrendis historiolis varii generis de proscriptis illustrioribus sibi placet, et eas exhibet, quae cum Appiano congruunt 1), et eas, quae ab eo discrepant. Ne longior sim, paucis defungar exemplis. Idem narrantes nihilominus non prorsus similiter de C. Thoranio exponunt 2). L. Villii Annalis filii scelere percussi nex contra convenienter ab utroque traditur 3). Quamquam eandem rem describentes de nomine heri servi fide servati dissentiunt 4). Quod Val. Maximus de Sentio Saturnino Vetulione sua audacia et dolo hostes fallente 5) tradit, ab Appiano Pomponio tribuitur 6). Sed alii insuper loci consensum inter hos scriptores probant. E Nicolao Damasceno 7) atque e Valerio Maximo, qui teste Heereno 8) Nicolaum exscripsit, Plutarchus narrationem repetit de Porcia, Bruti uxore, quae invitis domesticis ei assidue adhaerentibus haustis prunis de foculo raptis vitam finierit 9).

Idem consensus, eadem discrepantia in Floro cernitur. Quod quum iam saepius adnotaverim, nunc ad alia transeo adiecto uno Flori loco Appiano repugnante. Florus enim Octavium ad Mutinam Antonium exuisse castris strictim tangit 10), Appianus contra ei hac de re assentiens Octavium deinde ab Antonio repulsum esse addit, quo facto utrumque in armis pernoctasse 11).

§ 4.

Frontinum ab Appiano inspectum esse nego. — E Ciceronis scriptis nonnisi Philippicas cognovisse, eas vero parum adhibuisse videtur. — Neque Velleius Paterculus, nec Suetonius ei usui fuit.

Quaecunque strategemata ad res, quas Appianus his tribus

1) Cf. Drum. I, p. 376, 377, 378.
2) Val. Max. IX, 11, 5. — App. IV, 18.
3) Val. Max. IX, 11, 6. — App. l. l.
4) Val. Max. VI, 8, 6. — App. IV, 44.
5) Val. Max. VII, 3, 9.
6) App. IV, 45.
7) De quo cf. Heeren, p. 114, 115.
8) Ibid. p. 126, not. *i*.
9) Plut. *Brut.* 53. — App. IV, 136.
10) Flor. IV, 4.
11) App. III, 71. — Cf. Drum. I, p. 308.

libris exponit, pertinentia affert Frontinus, ea ne tangit quidem Appianus. Qua in re igitur sibi ipse consimilis manet. Neque igitur argumentorum copia opus est, ut probemus, Appianum Frontini opus nequaquam consultasse, sed quivis cernens, et ea, quae hic habet de literis plumbo scriptis, de sale deque pecoribus Mutinensibus ab Hirtio missis 1), et multa alia Appiano incognita esse, illud facile crediderit.

E Ciceronis scriptis epistolae Appiano nulli usui fuisse videntur, Philippicas certissime cognovit, sed parum adhibuit 2). Non enim moramur unum alterumve locum, quo ambo scriptores eadem tradere comperiantur, v. c. ubi dicunt, res Caesaris statim post eius caedem in Antonii domum ut tutiorem translatas esse 3). Verum Appiani tradita non ad Ciceronem fontem reduci posse, sequentia evincent. Saepissime Appianus ea memorat, quorum contrarium affirmat Cicero: hic Antonium fraudis, furiosae vinolentiae, bacchanaliorum insimulat 4), ille talia omittit; hic pluribus locis refert, Antonium hostiliter cum exercitu in urbem venturum fuisse, sed id consilium mutasse metu Octavii, qui eam praeoccupasset 5), quod ille refellit 6); Appianus, ubi de Antonio Galliam Cisalpinam invadente agit, palam profitetur, nihilo minus valere voluntatem senatus quam populi 7), Cicero de hac quaestione silet 8); Appianum scribentem, Ciceronem contentiose et mutata paulisper senatus sententia mandata conscripsisse 9), confutat Philippica nona, quae Sulpicii auctoritate et sententia decretum illud constitutum esse docet 10). Praeterea Philippicae multa continent, quae Appianus tacet. Cicero sua quoque opera Anto-

1) Front. *Strat.* III, 13 § 7; 14 § 3 et 4.

2) Merito Egger p. 253: „De ces deux collections (les Lettres et les Philippiques de Cicéron) l'une ne paraît pas lui avoir servi pour les évènemens de 710 à 711; l'autre lui était certainement connue; mais on verra qu'il en a peu profité. — Cf. Drum. I, p. 355, 356, qui ex *epist. ad fam.* plura hausit, quae Appianus praetermittit.

3) Cic. *Phil.* III, 12. — App. III, 17.

4) Cic. *Phil.* II, 35, 36, 39, 40.

5) Cic. *Phil.* III, 2; IV, 2; V, 8, 16; VI, 2; XIII, 8.

6) App. III, 58. 7) App. III, 49.

8) Cic. *Phil.* V, 2, 9, 10, 11, 12, 19. — Cf. Drum. I, p. 233-237.

9) App. III, 61. 10) Cic. *Phil.* IX, 3.

nium omnium rerum dominum creatum esse innuit 1); Appianus Ciceronis orationis tunc habitae haud meminit. Cicero fuse persequitur, qua crudelitate Antonius urbe surrepta in Parmenses se gesserit 2), quae mire confirmantur initio epistolae Bruti hodie deperditae 3), quum Appianus de flagitiis illis sileat. Eodem modo ab Appiano silentio praetereuntur laudes Octavii 4), coniunctio inter eum et Ciceronem 5), fata D. Bruti post proelium apud Mutinam 6) et tot alia. Ubi deinde e Cicerone veram temporis notationem repetere potuit Appianus 7), tamen in die definiendo saepe fallitur. Quid quod in rebus minutissimis alter ab altero discrepat. Ita in pugna prope Mutinam auctore Appiano ex Hirtianis pauci ceciderunt 8), teste vero Cicerone Hirtius hostium copias occisione occidit suo exercitu ita incolumi, ut ne unum quidem militem desideraverit 9). Iam nemo miretur, Appianum omnia fugisse, quae de ipsius Ciceronis vita contineant Philippicae 10). Plura requirentes adeant Drumannum et Eggerum.

Quemadmodum Appianus in his libris Ciceronis scripta neglexisse videtur, ita nihili rursus fecit Velleium Paterculum. Hic enim tradit, Decimo Bruto decretum fuisse triumphum 11); Ciceronem eodem tempore Octavium laudandum et tollendum censuisse, quum aliud diceret, aliud intelligi vellet 12); Antonium post bellum Mutinense turpi ac nuda fuga coactum deserere Italiam 13); Iuventium Laterensem, virum vita ac morte consentaneum, sub Antonii in castra ingressum gladio se ipsum transfixisse 14). Quae omnia frustra apud Appianum quaeruntur. Velleius porro dicens, Plancum dubia i. e. sua fide ac sibi difficile consentientem fuisse 15), Appianum haud sibi assentientem habet. Idem Appiano interdum accuratior est,

1) Cic. *Phil.* I, 1. 2) Cic. *Phil.* XIV, 3, 4.
3) Cic. *ad Div.* XI, 13 ed. Orell.: „Parmenses miserrimos. ....
4) Cf. Drum. I, p. 214, 215. 5) Cf. ibid. 221-223.
6) Ibid. p. 343-347.
7) App. II, 132 coll. cum Cic. *Phil.* II, 35; App. II, 141 coll. cum Cic. *Phil.* I, 13. Cf. Drum. I, p. 90, 96. 8) App. III, 70.
9) Cic. *Phil.* XIV, 12, 14. 10) Cf. v. c. Drum. I, p. 144-158.
11) Vell. Paterc. II, 62. 12) Ibid. 13) Ibid. 61.
14) Ibid. 63. 15) Ibid.

nam HS. septies milies depositum a Caesare ab Antonio occupatum esse commemorat 1), quam summam Appianus non definit 2) et cum hoc consentiens de statua equestri in Octavii honorem posita 3) rem copiosius describit. Pariter Appianus Hirtii et Pansae, consulum ad Mutinam caesorum, corpora illustri funere honorata Romam missa esse modo ait 4), quum Velleius publice sepulta esse addat 5). Sed Appianum nequaquam Velleium secutum esse, inde praeterea liquet, quod eius errores vitavit. Sic potius fides habenda Appiano putanti, M. Brutum a Vatinio tres legiones accepisse 6), quam Velleio rem in maius augenti et de septem legionibus cogitanti 7). Velleius porro perperam contendens, Antonium auctorem reconciliationis cum Octavio fuisse 8), ex Appiano emendari potest. Denique non pauca exempla exstant, ubi maior Appiani ubertas impedit, quominus credamus, eum e Velleio hausisse, quod v. c. valet de loco agente de Antonio ex satellitibus suis aliquot apud amicos deferente tanquam operam ad se tollendum Octavio pollicitos 9).

Quae supra 10) de Suetonio monui, hîc iterum quadrant. Semper fere ab Appiano recedit adeoque eius fontibus adscribi nequit. Ut Octavium Nursinos grandi pecunia multatos extorres egisse oppido, quamvis Suetonius tradat 11), praetermittit Appianus, ita quae probra Antonius Octavio obiecerit, haud memorat 12). Quae teste Suetonio post proelia ad Philippos acciderunt 13), non leguntur apud Appianum. Suetonio credenti, Octavium Antonio percussores subornasse 14) contradicit Appianus demonstrans, Octavii multum interfuisse, ut Antonius salvus esset 15). Narratiunculam de Cornelio centurione, qui Octavio nomine exercitus consulatum deposcens atque gladii capulum ostendens non dubitaverit in curia dicere: „hic faciet, si vos non feceritis" 16) aliter effert Appianus 17). Idem

1) Vell. Pat. II, 60. 2) App. III, 52, 54.
3) Vell. Pat. II, 61. — App. III, 51. 4) App. III, 76.
5) Vell. Pat. II, 62. 6) App. IV, 75. 7) Vell. Pat. II, 69.
8) Ibid. II, 65. — Cf. Drum. I, p. 326.
9) App. III, 39 coll. cum Vell. Pat. II, 60. 10) Vid. supra p. 52.
11) Suet. *Oct.* 12. 12) Ibid. 2, 3, 4. 13) Ibid. 13.
14) Ibid. 10. 15) App. III, 39. 16) Suet. *Oct.* 26.
17) App. III, 88.

tandem de Q. Gallii morte a Suetonio 1) dissentit 2) et ubique aliter de Octavio iudicat quam Suetonius, qui eum inexorabilem fuisse censet et proscriptionem acerbissime exercuisse 3).

§ 5.

Appianus Plutarchum non contulit.

Plutarchum denuo cum Appiani tribus posterioribus libris contuli, nimirum in vitis huc pertinentibus Ciceronis, Antonii, Bruti. Hinc persuasum habeo, similitudinem, si qua sit inter eos, deberi fontium, e quibus hauserint, consensui. Qualis fontium consensus tribus in primis locis animadvertitur. Uterque enim narrat somnium illud celeberrimum, quo Octavius in pugna ad Philippos servatus esse fertur, sed Plutarchus solus nomen amici addit 4). Tum ambo consentiunt de numero eorum, qui ibi caesi sunt 5) deque Bruti postremis verbis 6), verum Plutarchus, non Appianus, auctores, Messalam et Volumnium, exhibet. Nullo vero modo putandum, Appianum ipsum Plutarchum secutum esse, quod miror Drumannum temere credidisse 7). Qui quam infirmis argumentis nitatur, probabitur exemplorum copia, quam adiicio. Raro consentiunt inter se Plutarchus et Appianus, quod tamen fit:

Plut. Cic. 45 = App. III, 50-63, ubi agitur de Ciceronis potentia et de Antonio urbe expulso.

Plut. Cic. 47 = App. IV, 20, quoad attinet ad caedem Q. Ciceronis et filii.

Plut. Cic. 49 = App. IV, 51, ubi filius M. T. Ciceronis ab Octavio consule collega cooptatus esse narratur.

Pariter conspirant de Antonio obstante, quominus Octavius tribunatum obiret et Caesari sellam auream poneret 8); de Sex. Pompeio, Antonio, Octavio se invicem hospitio excipientibus deque occasione rei gerendae Pompeio a Mena pirata

1) Suet. *Oct.* 27. 2) App. III. 95. — Cf. Schweigh. ad h. l.
3) Suet. *Oct.* 27. — Cf. Drum. I, p. 378.
4) Plut. *Brut.* 41. — *Ant.* 22. — App. IV, 110.
5) Plut. *Brut.* 45. — App. IV, 112.
6) Plut. *Brut.* 51. — App. IV, 130.
7) Drum. I, p. 446, not. 8. 8) Plut. *Ant.* 16. — App. III, 28, 31.

oblata 1); de Antonio Ventidium contra Parthos mittente et cum Octavia Athenis hiemante 2); de Bruti et Cassii moribus 3); de ominibus Bruto et Cassio oblatis 4); de Titinio et de Bruto super Cassii mortui corpore flente 5).

Verum eiusmodi locis consentaneis reluctantur multo plures, ubi scriptores inter se dissident, imo secum saepius quam maxime pugnant. Apud Plutarchum Octavius suffragante Cicerone consul creatur 6); apud Appianum fit contrarium 7). Plutarchus affirmat, Octavium diu ceteris triumviris repugnasse, ne Cicero interficeretur 8), quod Appianus omittit 9). Admodum differt alter ab altero in enarranda Ciceronis morte, v. c. de homine, qui percussoribus viam indicaverit, de corvis, de ipso interfectore 10). Auctore Plutarcho ante secundam reconciliationem Antonio delatum est, Octavium sibi insidias parare 11); si Appianum audis, post illam reconciliationem 12). Diverse exponunt ambo, quomodo Antonius cum Lepido congressus sit 13). Qua ratione L. Caesar a sorore sua morti ereptus sit, varie describunt 14). Pugnam priorem ad Philippos et somnium illud non eodem modo enarrant 15). Multo copiosius quam Appianus explicat Plutarchus Cleopatram Antonio occurrentem et Antonium Alexandriae degentem 16). Cetera discrimina brevius adnoto:

Cf. Plut. Ant. 30 cum App. V, 52, 55, 59 de Fulvia.
„ „ 31 „ „ V, 64 de Octavia Antonio desponsa.
„ „ 35 „ „ V, 93-95 de colloquio Octavii cum Octavia deque Antonio atque Octavio Tarenti sibi occurrentibus.

1) Plut. *Ant.* 32. — App. V, 73.
2) Plut. *Ant.* 33. — App. V, 65, 75, 76.
3) Plut. *Brut.* 29. — App. IV, 123.
4) Plut. *Brut.* 36, 39, 48. — App. IV, 128, 134.
5) Plut. *Brut.* 43, 44. — App. IV, 113, 114.
6) Plut. *Cic.* 46. — Plutarchum merito refellit Drum. I, p. 329.
7) App. III, 82. 8) Plut. *Cic.* 46. — *Ant.* 19.
9) App. IV, 6, 19. 10) Plut. *Cic.* 47-49. — App. IV, 19, 20.
11) Plut. *Ant.* 16. 12) App. III, 39.
13) Plut. *Ant.* 18. — App. III, 84. 14) Plut. *Ant.* 20. — App. IV, 37.
13) Plut. *Ant.* 22. — App. IV, 110 sq. — Cf. Schweigh. ad h. l.
16) Plut. *Ant.* 25-29. — App. V, 8, 11.

Cf. Plut. Brut. 30, 31 cum App. IV, 76-80 de incendio Xanthi 1).
„ „ 32 „ „ IV, 81 de modo, quo Brutus erga Patarenses egit.
„ „ 49 „ „ IV, 128, 129 de altera pugna ad Philippos.
„ „ 52 „ „ IV, 131 de Bruti nece.

Tandem ea afferam, quae Plutarchus tractat, Appianus vero non habet. Haec igitur sunt: somnium Ciceronis 2); poena Philologi 3); fames, qua Antonius in Alpibus transeundis laborabat 4); Antonii vita luxuriosa et perdita 5); Bruti et Porciae colloquia, e Bibuli scriptis allata 6); lites Bruti et Cassii 7); sermones, quos Brutus de spectro illo iniit 8); Atellii consilium 9) aliaque.

§ 6.

Ad quosnam auctores redeat horum librorum argumentum, summatim contrahitur.

His igitur ad finem perductis superest, ut summatim iterem, quibus fontibus Appianum libro tertio, quarto, quinto usum esse apparuerit. Quos omnino fide dignos esse, quivis me non monente intellexerit. Scriptor, quem fere ubique sibi praeeuntem habuisse videtur, est ipse Augustus. Neque vero omnia illius scripta ab Appiano collata, sed commentarios praecipue adhibitos esse arbitror. Eum porro multa ab Asinio Pollione accepisse vidimus. Neque Cordi Cremutii, nec Messalae Corvini, nec M. Antonii, nec P. Volumnii, nec M. Vipsanii Agrippae opera verisimiliter neglexit. Quum non pauca cum Livio congruant, nihil obstat, quominus credamus, hunc etiam scriptorem ab Appiano in auxilium advocatum esse. A Cicerone

1) Iure Schweigh. ad h. l.: „illud miror, quo pacto Wesselingius sustinuerit, Appianum sua, quae de Xanthiis narravit, Plutarcho debere: quo nihil dici potuit a veri specie magis abludens."
2) Plut. *Cic.* 44. 3) Ibid. 49. 4) Plut. *Ant.* 17.
5) Ibid. 21, 26, 24. 6) Plut. *Brut.* 23. 7) *Ibid.* 34.
8) Ibid. 37. 9) Ibid. 39.

eum non pependisse demonstravi, nisi quod Philippicas passim inspexerit. Denique senatusconsulta, triumvirorum edicta, foedera saepius ab eo consultata esse comperimus.

Verum cave, ne putes, ad hos tantum fontes referenda Appiani tradita. Omnia enim suis auctoribus reddi nequeunt, tum quod plurimi eorum funditus interierunt, tum quod Appianus nos ignorare voluit, quo modo vulgo artem criticam exercuerit. Quapropter fieri potest, ut sua revera petiverit e nonnullis eorum scriptorum, quorum vestigia apud eum exstare negavimus.

CAPUT IV.

Quid et quantum Appianus e fontibus suis desumsit, sive de natura et indole librorum de Bellis Civilibus.

Plures igitur aetate et auctoritate dispares scriptores ab Appiano adhibiti sunt, quorum singulis ipse haudquaquam eandem fidem habuit. Sequitur itaque, ut exploremus, quaenam potissimum e fontibus suis deprompserit, quaenam omiserit, sive ut in universam Appiani librorum de bellis civilibus naturam indolemque inquiramus. De qua si quis iudicium ferre vult, ad consilium spectet necesse est, quod scriptor in conscribenda historia sibi proposuit. Hoc ipse Appianus ita exponit. Postquam dixit, saepe olim plebi Romanae cum senatu de nullis non rebus incidisse contentionem, semper tamen manibus fuisse temperatum et mutua quadam ordinum reverentia dissensiones suas componere Romanos consuevisse 1), Tiberium Gracchum omnium primum seditionem concitasse addit, nec postea a turbis cessatum esse. Quin ingravescente magis magisque malo coniurationes factas esse in rempublicam manifestas et expeditiones validas adversus patriam susceptas 2). Quarum discordiarum civilium brevi descriptione in conspectu posita 3) sic concludit: „tandem post multas contentiones seditionesque concordia in imperio Romano secuta est totiusque imperii summa ad unius arbitrium est delata. Quae qua ratione gesta sint, his libris exposui atque complexus sum" 4). Consilio ita definito pergit, esse sane argumentum studio dignum eorum, quos iuvat, immensam hominum ambitionem, dominandi vehementissimam cupiditatem patientiamque nullo labore fati-

1) App. *Bell. Civ.* I, 1. 2) Ibid. 2. 3) Ibid. 3-5. 4) Ibid. 6.

gandam, denique infinitas calamitatum formas pernoscere 1). Quibus verbis egregie declarat, se opus suum ethica, ut ita dicam, ratione conscripsisse, quod alio insuper loco confirmatur, ubi ait, se ea memorare, quae ex insperato nonnullis proscriptis contigerint, ut vel salvi evaderent, vel ad honores deinde pervenirent, quod cum sibi iucundius sit, tum lecturis utilius, ne quis unquam in rebus adversis animum despondeat spemque salutis abiiciat 2).

Bellorum civilium historia ab Appiano quinque libris, nec ultra 3), absolvitur, et per auctores motuum distributa est. Quae divisio ideo minus placet, quod hinc fit, ut Gracchorum tribunatus et Catilinae coniuratio rebus minoris momenti adscribantur 4). Quum vero scriptor modo polliceatur, se ea bella civilia tractaturum, quae prae ceteris horrenda Romani gesserint saepiusque, ut infra patebit, se brevem esse oportere innuat, nemo iure omnia huc pertinentia ab eo requisiverit.

Exorsus igitur a Tiberio Graccho Appianus bella civilia ordine chronologico enarrat, et quoties in personae alicuius mentionem incidit, cui primariae partes sunt, toties lectorem breviter docet, quis sit, qui nunc in historiae scenam prodeat et qua ratione, quibus causis factum sit, ut in eum locum et ad eas res gerendas, de quibus agitur, accesserit. Horum virorum casus, mores, facta, dicta accurate recenset. Belli tempora praecipue persequitur, pacis tamen non omnino praeterit, quemadmodum summus Wyttenbachius opinatus est 5). Haec enim respicit, ubi agrorum conditionem et Italorum paupertatem

1) L. l.

2) App. *Bell. Civ.* IV, 36. — Cf. Ulrici, *Charakteristik der ant. Historiographie*, p. 242: „Haupttendenz ist ihm moralische Belehrung und Kräftigung des sittlichen Gefühls. — Sie ist in so fern ehrenwerth als sie ihn aufmerksam machte auf die Sitten und den moralischen Charakter der historischen Hauptpersonen, nicht selten auch der Völker."

3) Errare enim qui novem libros numerarint, egregie probat Schweigh. *Exerc.*, p. 26. Cf. Egger, p. 247.

4) Cf. Egger l. l.

5) *Biblioth. Crit.* III, pars II, p. 93, 94. Veriora sunt Eggeri verba: „Appien néglige beaucoup ce qui concerne la vie privée de ses personnages et l'administration intérieure de la république."

melius quam Plutarchus depingit 1), Romam fame laborantem et plebem seditiosam describit 2), Caesarem Romae res ordinantem inducit 3), leges latas aut abrogatas esse dicit 4), magistratuum vices indicat, et quid in senatu actum sit, refert (II, 127, 129). Alia exempla infra occurrent. Proposito intentus externas res nunquam commemorat, raro attingit, obiter monens v. c., se singula, quae Caesar in Aegypto peregerit, in rerum Aegyptiarum historia accuratius retulisse 5). Pariter ubi mentio in res Syriacas incidit, addit, se de iis copiosius in rebus Syriacis disputavisse 6). Sed saepissime ad historiam Parthorum respicit 7).

In quavis maiore operis parte, antequam ad singulas res explicandas aggreditur, Appianus res maxime insignes perstringere solet, quo facilius lector universam historiam animo percipiat. Nonnunquam lectorem requiescere iubet, ut praeterita et futura respiciat 8). Crebro se renovandae memoriae causa res paulo altius repetere profitetur 9). Interdum philosophorum more de providentia divina et de fortuna disserit. Cn. Pompeium parum prudenter fecisse arbitratur, quod contemtis classibus, quibus tantum praepolleret, terrestri pugna cum Caesare decertaverit. Verum id Deo Pompeianorum mentem pervertente factum esse putat: Dei enim consilium fuisse, ut nasceretur potentissimum illud Romanorum imperium 10). Ob eandem causam Sertorius postremo vitae tempore ad labores multo remissior mulierum consuetudini et potui comessationibusque se dedere coepit 11). C. Cassius Caesari Hellespontum traiicienti classem tradidit, territus a fortuna, quae Caesarem extollebat 12). Quamquam haruspex Caesarem frequenter monuit, hic contemtis victimis senatum introgressus est, quum teste Appiano necesse esset, ei evenire, quod evenerit 13). Ro-

1) App. *B. C.* I, 7. 2) Ibid. V, 67. 3) *B. C.* II, 48.
4) V. c. *B. C.* III, 2. 5) *B. C.* II, 90. 6) *B. C.* V, 10.
7) *B. C.* II, 110; III, 8; IV, 63; V, 10, 65, 75, 133, 134.
8) *B. C.* I, 2-5, 34, 55, 108, 111, 121; II, 1; III, 1; IV, 132-134; V, 1. 9) *B. C.* IV, 75.
10) *B. C.* II, 71. — Cf. Egger, p. 248. Vid. porro *B. C.* II, 62.
11) *B. C.* I, 113. 12) *B. C.* II, 88.
13) *B. C.* II, 116. Vid. etiam 149, 150.

mam, tot terra marique gentium dominam, Deus proscriptionibus secundi triumviratus afflixit, per diutinas ambages adducens eam ad feliciorem hanc, quae postea obtinebat, constitutionem moderationemque 1). Exercitus tandem seditionem fortunae summae Octavii felicitati invidenti tribuit Appianus 2).

Ex eodem fonte fluxit Appiani consuetudo narrandi interpretandique prodigia et somnia. Occurrunt apud eum omina fausta oblata Mario puero 3) et Octavio consuli 4), sed plura infausta, quae Crasso Parthis bellum inferenti 5), Pompeio post fugam ex Italia atque ante pugnam Pharsalicam 6), Caesari ultimum curiam intraturo 7), Alexandro Magno in India 8), Bruto initio alterius pugnae Philippensis 9), eidem et Cassio 10) obvenerint. Cinna mortuo fana Lunae et Cereris de coelo tacta esse feruntur 11), alia prodigia bellum Sullanum 12) et Caesarem urbi imminentem 13) praenuntiant. Quo tempore, Antonius, Octavius et Lepidus imperium Romanum inter se dividebant, auctore Appiano multa horrenda in urbe visa sunt prodigia, quibus procurandis senatus haruspices ac vates ex Etruria arcessivit, quorum natu maximus miro modo ostenta interpretatus est 14). Inter causas, quae Antonio persuaserunt, ne Octavium Brundusii exspectaret, a scriptore ponitur, quod prodigio quodam fuerit territus 15). Tempestas Octavium navigantem adorta solam navem praetoriam ei paratam fregit, quae res in omen tum versa est 16). Paulo ante pugnam ad Pharsalum igneum fulgorem de coelo a Caesaris castris ad Pompeiana delatum ibique demum exstinctum esse, narrat Appianus, quo omine sibi victoriam portendi cum Pompeius, tum Caesar ratus sit 17). Nocte quadam priusquam Caesar interfectus est eius uxor Calpurnia per insomnium maritum multo sanguine cruentatum

1) *B. C.* IV, 16.
2) *B. C.* V, 128. — Aliud habeas V, 140. — E ceteris Appiani libris plura exempla affert Ulrici, *Charakt.* p. 73.
3) *B. C.* I, 61. — Idem omen legitur apud Plut. *Mar.* 36.
4) Cui auspicium duodecim vulturum, idem quod olim Romulo, contigit. — *B. C.* III, 94.
5) *B. C.* II, 18.
6) *B. C.* II, 58 et 68.
7) *B. C.* II, 116, 153.
8) *B. C.* 152.
9) *B. C.* IV, 128.
10) *B. C.* IV, 134.
11) *B. C.* I, 78.
12) *B. C* I, 83.
13) *B. C.* II, 36.
14) *B. C.* IV, 4.
15) *B. C.* V, 79.
16) *B. C.* V, 80.
17) *B. C.* II, 68.

vidit 1). Corvis nonnullis in cubiculum Ciceronis in villa sua prope Caietam degentis cum crocitatu involantibus stragulamque ei de corpore detrahentibus servi intelligebant, divinitus illud missum esse ostentum 2). In castris Bruti et Cassii aquilae duae superne demissae argenteas signiferorum aquilas insederunt, tundentes rostris vel, ut alii tradunt, alis protegentes permanseruntque apud agmen, ac pridie demum quam prior pugna Philippensis commissa est avolarunt 3). Cur manserint aquila, docet ipse Appianus his verbis „imperatoribus eas ex publico alentibus.” Inde intelligimus, eum non eo usque superstitionis progredi, ut Dionis instar prodigia maximi faciat, sed fortasse magis ob religionem et ad ingenium antiquitatis demonstrandum portenta retulisse. Nam ingenue fatetur, Alexandrum Magnum et Caesarem prodigiorum ad se pertinentium contemtores fuisse 5), et senatum tradit tribunum plebis quendam subornasse, ut in comitiis obnunciaret malum augurium, quo facto Antonium vehementer iratum hominis mendacio nihilo minus iussisse tribus suffragia ferre 6). Nobis denique Appianum cum aliis rerum scriptoribus conferentibus atque animadvertentibus, numerum prodigiorum, quae ille commemorat, prae his exiguum esse, eadem suspicio augetur. Etenim praetermittit prodigia mortem Tib. Gracchi portendentia 7); item quae Varii 8) et Sullae aetate 9) obvenerint; tum alia, praenuntia belli prioris civilis 10); alia primam Antonii Octaviique reconciliationem 11) secuta, ne de aliis dicam.

Raro aut nunquam Appianus divertit ad praecepta doctrinae sententiasve, sed digressionibus admodum delectatur. Ita fuse disputat de errore eorum, qui Dyrrachium eandem urbem atque Epidamnum esse existiment 12). Urbe Xantho a Bruto

1) *B. C.* II, 115. 2) *B. C.* IV, 19. 3) *B. C.* IV, 101.
4) Wilm. p. 46. 5) App. *B. C.* II, 152. 6) *B. C.* III, 7.
7) Val. Max. I, 4, 2; IV, 6, 1. — Plut. *Tib. Gracch.* 17.
8) Sisenna apud *Cic. de Divin.* I, 44. — Oros. V, 18.
9) Cic. *de Divin.* I, 33. — Valer. Max. I, 5, 5 et 6, 4. — Plut. *Sull.* 9, 27, 28; *Mar.* 38, 40. — Iul. Obseq. c. 115.
10) Plut. *Sull.* 7. — Suidas v. Σύλλας. 11) Plut. *Ant.* 16.
12) *B. C.* II, 39. — Qua in re Appianum tamen a vero aberrare demonstravit Drum. III, p. 476.

capta tertio tunc incolas libertatis amore suis manibus periisse affirmat, nam et ab Harpago oppugnatos vitam quam libertatem amittere maluisse, et sub Alexandro similem casum passos esse 1). Proserpinae raptae 2) meminit, nec alio loco solis boum et Ulyssi somnii immemor est 3). Huc etiam refero historiolas interdum admodum mirabiles, quarum Appianum diligentem sectatorem esse cognovimus. Sullam inducit in concione narrantem fabulam de rustico, quo pediculis liberaretur, suam interulam exurente 4); operi suo intexit narrationem de facinore forti, sed fallaci centurionis cuiusdam 5); agit de viginti uno senibus veneno sublatis, post urbem Gomphos captam a Caesare repertis 6), de Trebonii caede atque centurionis eum occidentis lepido dicto 7), de Antonio multo mane forum funibus circumsepiente 8), de Decimo Bruto Mutinam dolose occupante 9). Depingit calamitates incolarum urbis Rhodi a Cassio captae 10); quomodo Porcia, Bruti uxor, mortua sit, describit 11); specimina insolentiae militum Octavii affert 12); civem Perusinum primum suas aedes, mox totum oppidum incendentem exponit 13); quî Menas sive Menodorus Caesarianos fefellerit iisque illuserit 14), et qua ratione Cornificius incolumis ad Agrippam evaserit 15) explicat. Enarrat, Messanam singulari opportunitate a Plennii militibus direptam esse 16); Sex. Pompeium frustra id egisse, ut alam equitum Italicorum Antonio missam auro corrumperet 17). Scriptorem tamen historiolarum studiosissimum nonnunquam a vero deflexisse, arguunt Drumannus et Peter 18).

Verum quam propensus Appianus sit ad narratiunculas literis mandandas, in primis e quarto libro liquet, ubi, quum

1) *B. C.* IV, 80. — Quae ex Herodoto tracta esse, testatur Schweigh. ad h. l. 2) *B. C.* IV, 105. — Cf. Schw. ad h. l. 3) *B. C.* V, 116.
4) *B. C.* I, 101. 5) *B. C.* II, 60. 6) *B. C.* II, 64.
7) *B. C.* III, 26. 8) *B. C.* III, 31. 9) *B. C.* III, 49.
10) *B. C.* IV, 73. 11) *B. C.* IV, 136. 12) *B. C.* V, 15, 16.
13) *B. C.* V, 49. 14) *B. C.* V, 101. 15) Ibid. 115.
16) *B. C.* V, 122. 17) *B. C.* V, 138.
18) Drum. I, p. 309, 310. — C. Peter, *Philol.* VIII, 3, p. 438. — Nihilominus prorsus dissentio a viro doct. Peter perhibente, ob hunc locum aliosque eiusmodi Appiano omnem fere fidem denegandam esse.

antea historiam proscriptionum Marii Sullaeque breviter perstrinxisset, se ea mala, quae vel aliis sint illustriora quaeve saevitate emineant percursurum ait 1). Iam sequitur enarratio caedis tribuni plebis Salvii 2), praetoris Minucii 3), Annalis praetoris 4), praetorii Thoranii 5), Ciceronis 6) ac permultorum aliorum 7). Post haec exempla inveniuntur mirifica documenta pietatis uxorum erga maritos liberorumque erga parentes, imo servorum erga dominos, cui pietati multi suam salutem debuisse feruntur 8).

Lectoribus indoctis prospiciens res inter Romanos vel Graecos notissimas plerumque data opera et pluribus verbis explicuit. Morem regiones Italiae proconsulibus assignandi declarat 9). Quid sit legatus 10), quid interrex cum tempore regum, tum reipublicae 11), explanat. Interpretatur porro, quinam nomine hominis novi et inquilini intelligantur 12); quisnam tempore reipublicae imperator appellari solitus sit 13); quinam ἁρμοσταὶ 14) vocentur; quid sit Ἀρχηγέτης 15). Et consuetudinem provinciarum Romanarum suum patronum in urbe habendi 16), et morem consules designatos primos in senatu sententiam rogandi 17), et adoptioni auctoritatem praetoris interponendi 18), et in militum catalogis ad nomen cuiusque militis mores etiam adnotandi 19), etvero matriculae usum 20) indicat. In originem appellationis „patris patriae" inquiritur 21); cur elephanti quintae legionis insignia sint 22) quodque vestimentum Phaecasium dicatur 23), ostenditur. Flamini diali e sacerdotibus uni omnium ius esse apicis gestandi innuit 24). Pariter dicit, senatum ab alterutro consulum sine alterius consensu ex legibus non posse convocari in curiam 25); tribuno plebis potestatem esse senatum re infecta dimittendi 26);

1) *B. C.* IV, 16. 2) *B. C.* IV, 17. 3) Ibid.
4) *B. C.* IV, 18. 5) Ibid. — Cf. Schweigh. ad h. l.
6) *B. C.* IV, 19, 20. 7) Ibid. 20-30. 8) Ibid. 37-51.
9) *B. C.* I, 38. 10) Ibid. 11) *B. C.* I, 98. 12) *B. C.* II, 2.
13) *B. C.* II, 44. 14) *B. C.* IV, 7. 15) *B. C.* V, 109.
16) *B. C.* II, 4. 17) Ibid. 5. 18) *B. C.* III, 14.
19) *B. C.* III, 43. 20) *B. C.* V, 46. 21) *B. C.* II, 7.
22) *B. C.* II, 96. 23) *B. C.* V, 11. 24) *B. C.* I, 65.
25) *B. C.* II, 11. 26) Ibid. 29.

plebem, ut apud Graecos in φρατρίας, ita Romae in curias dividi 1); summum magistratum Rhodi prytanim appellari 2). Neque deest explicatio modi, quo Romani classes suas lustrare solebant 3), nec descriptio harpagonis, quem Agrippa commentus esse fertur 4).

Raro annotationes de recentiore historia addidit aut ad suam aetatem respicit, ut de Labeone iurisconsulto 5), de cohortibus militaribus nocturnorum vigilum6), de Hadriano monumentum effigiesque aeneas Cn. Pompeii inquirente et restituente 7). Alia exempla invenias I, 79; II, 148. Sed praeter res magnas et ad universam civitatem spectantes, Appianus leviores exponere non aspernatur, haud ignorans lectoribus delectationi fore gratam quandam varietatem, quum minuta graviora, laeta tristia excipiant. Neque parum apud eum valuisse credo, quod parvae res aliquantum conferunt ad indolem et ingenium hominum notandum et ad maioris momenti eventus illustrandos. Itaque neque narratiunculas illas, quas citavi, omittere noluit, neque interdum ea, quae ad singulos homines spectabant 8). Hinc non solum virorum clarissimorum, sed hominum ignobilium dicta laudantur. Affert verba Caesaris 9), Cn. Pompeii 10), Petreii 11), Catonis minoris 12), nonneminis 13), Antonii 14), Cassii 15), Bruti 16), legatorum et tribunorum 17), Lucilii 18), Stratonis 19), vulgi 20), Cleopatrae 21), Manii 22), Barbatii 23), Octavii 24). Citantur colloquia Cassii et Bruti 25), haruspicis et Caesaris 26), Antonii et Octavii sectatorum 27), Coccеii et Antonii 28), Coccеii et Octavii 29), Sex. Pompeii et Furnii 30). De orationibus postea

1) *B. C.* III, 94. 9) *B. C.* IV, 66. 3) *B. C.* V, 96.
4) *B. C.* V, 118. 5) *B. C.* IV, 135.
6) *B.* C. V, 132. — Cf. II, 102. 7) *B. C.* II, 86. — Vid. ibid. 20.
8) Exempla infra occurrent. 9) *B. C.* II, 55, 57, 62, 81, 88, 104, 109.
10) Ibid. 67, 69, 75, 81, 85. 11) Ibid. 95. 12) Ibid. 98.
13) Ibid. 115. 14) *B. C.* III, 72; V, 52. 15) *B. C.* IV, 113.
16) Ibid. 114, 124, 130, 131. 17) *B. C.* IV, 124.
18) *B. C.* IV, 129. 19) Ibid. 131. 20) *B. C.* V, 14.
21) *B. C.* V, 8. 22) Ibid. 22. 23) Ibid. 31. 24) *B. C.* V, 54.
25) *B. C.* II, 113. 26) Ibid. 116. 27) *B. C.* V, 59.
28) Ibid. 60. 29) Ibid. 61, 62. 30) *B. C.* V 141.

dicam. More Polybii et Livii spectatorum virorum mortem interdum laudibus prosequitur Appianus, cf. de Tib. Graccho 1), de Bruto et Cassio 2), de Sex. Pompeio 3). Terrarum et locorum descriptionum, quas non semper praetermittit, tamen parcum esse videbimus. Nullam omittit graviorem occasionem, quin causas et consilia indaget eventumque ex iis deducere studeat. Quam acriter rerum causas meditatus sit, multa nobis occurrent testimonia. Secundum annos quidem historiam divisam conscribit; sed quum res gestae, quae ex uno emanarunt fonte, chronologicis vinculis coerceri nequeant, non raro fit, ut rerum potius quam temporis rationem habeat.

1) *B. C.* I, 17. 2) *B. C.* IV, 132 sq. 3) *B. C.* V, 143.

CAPUT V.

De Appiani iudicio historico.

Ne iniquam sententiam feramus, ante omnia requiritur, ut investigemus, quali iudicio et qua arte critica Appianus usus sit. Et primum quidem quaeritur de delectu scriptorum, quem instituerit. Nobis autem eius fontes explorantibus egregie patuit, eum in testibus citandis minime frequentem esse. Nemo profecto exspectet, historicum nullum nisi excitato teste factum prodere. Neque etiam ista religio, ut praeclare animadvertit Wyttenbachius 1), postulanda erat illa aetate in conscribendis rebus Romanis, minime illis abstrusis et reconditis, sed ad eum iam modum frequentatis, ut scribentis aut error aut fraus facile teneri ac reprehendi posset. Sed Appianus paucissimos e suis auctoribus memorat eosque fere nonnisi semel. Neque hoc eam vim habet, ut aut eosdem ubique, aut non alios praeter hos, aut ubi nullos nominat, ibi nullos sequatur auctores 2). Se enim non satis habuisse unum alterumve tantum exscribere, scriptor ita declarat: „πολλὰ δ' ἐστὶ, καὶ πολλοὶ Ῥωμαίων ἐν πολλαῖς βίβλοις αὐτὰ συνέγραψαν ἐφ' ἑαυτῶν, ὀλίγα δὲ ἐγὼ — ἐπὶ κεφαλαίου διὰ τὸ μῆκος ἀναγράψω" 3). Quod autem attinet ad pretium eorum fontium, e quibus Appiani materiam haustam esse 4), vel ipse indicat, vel nos coniectura assecuti sumus, hos inter probatissimos recensendos esse, palam profitemur. Aequales maxime sequitur teste loco illo, ubi de numero militum, qui apud Pharsalum desiderati sunt, mentionem faciens e Pompeii exercitu secundum eos, qui plurimos tradant, viginti quinque millia caesa esse tradit; si

1) *Biblioth. Crit.* III, pars I, p. 94. 2) Ibid.
3) *B. C.* IV, 16. 4) Vid. supra p. 28, 55, 73, 74.

vero Asinium Pollionem audias, qui inter Caesarianos duces ei praelio interfuerit, non plus sex millibus cecidisse 1).

Quantam curam in rerum veritate indaganda posuerit, qua prudentia singulorum scriptorum fidem aestimaverit, ipse praesertim his verbis docuit: „*ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, πολλῶν ἀμφίλογα εἰπόντων, ἑπομένῳ μάλιστα Ῥωμαίων τοῖς τὰ πιθανώτατα γράφουσι περὶ τῶν ἐξ Ἰταλίας ἀνδρῶν· οἷς δὴ καὶ μάλιστα θαῤῥοῦντες τὰ συμμαχικὰ οὐκ ἀκριβοῦσιν, οὐδὲ ἀναγράφουσιν, ὡς ἀλλότρια, καὶ ὀλίγην ἐν αὐτοῖς ἐς προσθήκην χώραν ἔχοντα.* Quae brevius iterans mox adiicit: „*ὧδε μὲν τοῖς τὰ πιθανώτατα λέγουσι δοκεῖ*" 2). Quod hîc cernimus, eum de quorundam fide suspiciosum esse, confirmatur iis locis, ubi „nonnullos ita prodere" 3) ait, aut „si fides est nonnullis scriptoribus" Brutum pollicitum esse, se Lacedaemonem et Thessalonicam militibus diripiendas concessurum 4) scribit. Supra vidimus, Appianum Caesaris commentarium verisimiliter in rem suam contulisse quidem, sed minime ab eo solo pependisse 5). Quin maiorem saepe auctoritatem ab eo aliis fontibus tributam esse probavi. Quod num ideo fecerit, quod Asinio Pollioni album calculum adiiciat censenti, commentarios illos parum diligenter parumque integra veritate compositos 6), nescio. Constat sane, eum de Caesare Romae aerarii claustra effringente exponentem ab ipsius Caesaris narratione 7) declinavisse 8). Neque vero Pollioni eum temere fidem habuisse ex huius verbis supra allatis conspicuum est. Candide porro profitetur, se exemplaria literarum a Lucio Antonio et Fulvia ad Antonium scriptarum sedulo quaesita invenire non potuisse 9).

In scriptorum dissensu discrepantia indicare et ignorantiam profiteri quam verum dissimulare, aut omittere, aut coniectando indulgere maluit. Cuius rei illustre exemplum exhibeat

1) *B. C.* II, 82. 2) *B. C.* II, 70. 3) Ibid. 122.
4) *B. C.* IV, 118. 5) Vid. supra p. 45 sq.
6) Suet. *Caes.* 56. — De qua censura cf. Thorbecke, *de C. Asinio Pollione*, p. 133 sq. 7) Caesar, *de bell. civil.* I, 14.
8) *B.* C. II, 41.
9) *B.* C. V, 21. — Hunc locum perperam intellexit Egger p. 252 credens, ibi sermonem esse de iis, quae M. Antonius fratri uxorique responderit, non vero de horum literis.

liber tertius. Postquam narravit, Lepidi milites Antonio castrorum portas aperuisse, Lepidumque discinctum e cubili prosiluisse et complexum esse Antonium, addit, non deesse, qui tradant, eum supplicem accidisse genibus Antonii, segnem quippe hominem minimeque fortem. Sed, ait, id quidem nec omnes scriptores probant, nec mihi fit verisimile: nondum enim quidquam hostile contra Antonium fecerat Lepidus, cur timere deberet 1). Verissime monet Eggerus, Appianum, si unum protulisset testem, fortasse omnem dubitationem de Lepidi socordia sublaturum fuisse, sed quomodo criticam artem exercuerit, nos plerumque celavisse 2). Rem quoque dubiam relinquit Appianus, ubi agit de Scipionis morte, sive Corneliae insidiis, sive ipsi Scipioni, sive ignotis quibusdam tribuenda 3). Neminem de causa Capitolii combusti tunc certum quidquam exploratum habuisse, nec sese nunc coniectura assequi posse affirmat 4), id quod discrepantibus ceterorum scriptorum testimoniis incendium aut Sullanis, aut Marianis adscribentium corroboratur 5). L. Scipione ad colloquium cum Sulla in campum descendente refert, utrimque convenisse ternos, quo factum esse, ut vulgo nesciretur, quid collocuti sint 6). Caute monet, in pugna postrema Spartaci fugitivorum stragem tantam fuisse, ut nu-

1) *B.* C. III, 84. — Vid. alia exempla *B.* C. IV, 6 et 114.

2) Egger, p. 253.

3) *B.* C. I, 20. — De una harum causarum cum Appiano consentiunt Liv. *ep.* 59 et Oros. V, 10. Cic. *ad Att.* X, 8 et *pro Milon.* 7 denotat mortem violentam, sed ad *Div.* IX, 21; *de Orat.* II, 40 et *ad Quint. fratr.* II, 3 suspicatur, C. Carbonem Scipionem occidisse. Vell. Paterc. loquitur de morte haud immatura, verum simul vulnerum meminit. De vi cogitat etiam Valer. Max. V, 3, 2. Cf. Plin. VII, 44. Alias quam Appianus suspiciones affert Plut. C. *Gracch.* 10; verum quae *Rom.* 27 commemorat haud in diversa abeunt. Mortem subitam habet (A. V.) *d. v. i.* 58. Vid. tandem Ammian. Marcell. XXV, 10. Cff. Beier *ad Cicer. Lael.* et Gerlach, *der Tod des P. Corn. Scipio Aemilianus.*

4) *B.* C. I, 83, 86.

5) E variis rumoribus, quos App. laudat, unus quoque apud Plut. *Sull.* 27 invenitur. — Cff. Cic. *in Cat.* III, 4; *in Verr.* IV, 31; Dionys. Halic. IV, 61, 62; Plin. *Hist. Nat.* XXXIII, 5; Tacit. *Ann.* VI, 12; *Hist.* III: 72 „fraude privata."

6) B. C. I, 85. — Argumentum colloquii haud a veri specie abludens exhibet Cic. *Phil.* XII, 11.

merus caesorum non posset iniri 1). Crassum secundum nonnullos decimando quatuor millia hominum abstulisse tradit, sed aliorum testimonium praeterea commemorat 2). Alio loco haud diiudicat, quum „tanta de exacta veritate sit dissensio 3). De proscriptionibus secundi triumviratus exempla affert, quod metuat, ne alioqui lecturi fidem ei habere nolint 4). Quot milites in priore pugna Philippensi desiderati sint, coniicit, non certo certius statuit 5). Res Illyricas sibi non satis compertas esse, sincere fatetur 6). Merito Dionis 7) testimonio reïecto censet Reimarus 8), de Vettio se a Cicerone aliisque submissum perhibente, ut Caesarem una cum Pompeio confoderet, potius verum esse quod tradat Appianus 9), qui, quum Dio rem pro certo habeat, satis habet dicere: „*ὑπόπτου δ᾽ὄντος ἐφ᾽ ἑκατέρα τοῦ πράγματος* et „*εἰκαζομένου δ᾽ἐς ποικίλα τοῦ συμβεβηκότος*. Denique saepissime per totum opus dispersa sunt indicia eiusmodi: *φασιν* 10), *ὡς ἐδόκει* 11), *δοκοῦσι* 12), *νομιζόμενος* 13), *ἴσως* 14), *ἢ* — *ἢ* 15), *λεγόμενος* 16), *λέγεται* 17), *ὀυκ ἔχω σαφῶς εἰπεῖν* aliaque 18), quibus scriptor aperte demonstrat, sibi nondum de rebus narratis constare.

Eadem Appiani religio obstitit, quominus incredibilia apud alios scriptores obvia traderet. In pugna apud Capuam (Canusium secundum App.) e Norbani exercitu sex millia, e Sullanis septuaginta cecidisse, sed multos sauciatos esse ait 19), quum Plutarchus verisimiliter Sullae commenta-

1) B. C. I, 120. — Etsi hoc ita se habet, Livius *ep.* 97 et Oros. V, 24 60,000 cecidisse affirmant, quum Plutarch. *Pomp.* 21 tantum 12,304 habeat. A numeris excitandis abstinent Lucan. II, 554; Flor. III, 20; Plut. *Crass.* 11; Eutrop. VI, 7.

2) B. C. I, 118. — Plut. *Crass.* 10 modo 500 habet. — Cff. Freinsh. XCVI, 40 et Drum. IV, p. 79.

3) *B. C.* II, 70. 4) *B. C.* IV, 16. 5) Ibid. 112.

6) *B/ C.* V, 145. — Cf. Schweigh. ad h. l.

7) Dio Cass. XXXVIII, 9. 8) Cf. Reim. ad h. l.

9) *B. C.* II, 12. 10) *B. C.* I, 33, 61; V, 100, 116, 132.

11) *B. C.* I, 36; III, 95. 12) *B. C.* I, 53. 13) *B. C.* I, 64.

14) *B. C.* IV, 2. 15) *B. C.* V, 19. 16) *B. C.* V, 140.

17) *B. C.* V, 73. 18) *B. C.* I, 100; II, 26.

19) *B. C.* I, 84. — Cum App. facit Eutropius V, 7, ita tamen ut addat, Sullam quoque 6000 hominum cepisse, 124 e suis amisisse. — Quare

rios secutus tantum septem millia e Norbani militibus desiderata esse scribat et de Sullanis sileat 1). Huc etiam pertinent quae supra p. 85, 86 attulimus. Appianus haudquaquam meminit Caesaris laevam tollentis, ne libelli, quos teneret, madefierent, atque paludamentum mordicus trahentis, etsi alii ita tradunt 2) ipseque illam narrationem bis attigit 3). E contrario tacite eam refellit, nam Caesarem, ut insectantes regios lateret, diu sub aquis natavisse, per intervalla tantum exserto ore respirantem, affirmat 4). Cassium Rhodum oppugnantem miro modo subito in media urbe conspectum esse quidem memorat, sed a plerisque creditum esse, nec a veri specie abludere addit, ei clam apertas minores portulas ab eminentioribus inter cives miserantibus sortem urbis et de imminente fame sollicitis 5). Quum Pompeius et Caesar Dyrrachium pervenissent, Dione auctore ille dimicandum quam primum statuens fluvium Apsum transire instituit, sed ponte interrupto mox recessit 6). Plane aliter narrat Appianus, certatum ibi aliquoties equestribus proeliis per occasionem his aut illis amnem transeuntibus, sed totas copias nunquam in aciem deductas diserte dicit adiectis causis, cur et Caesar et Pompeius tunc a pugnando abstinere mallent 7). Cui id affirmanti cum Drumanno 8) potius quam Dioni fidem habemus.

Verum non semper Appianus eadem prudentia usus est. Rem procul dubio in maius auget, ubi contendit, Pompeianos in Africa veneno aquam infecisse indeque Caesaris exercitum mox morbis laborasse 9), vel in Caesaris triumpho translatas esse effigies Scipionis in undas cadentis, Petreii sese in coenaculo interimentis et Catonis, bestiae instar, unguibus sua-

Freinsh. LXXXV, 3. Eutropio potissimum crediderit, nescio. — Eutropio assentiens Oros. V, 20, pro 6000 hominum 7000 caesa esse dicit.

1) Plut. *Sull* 27.

2) Plut. *Caes.* 49. — Suet. *Caes.* 64. — Dio XLII, 40. — Oros. VI, 15,

3) *B. C.* II, 90, 150.

4) *B. C.* II, 150. — Cf. omnino Drum. III, p, 543, not. 33.

5) *B. C.* IV, 73. 6) Dio Cass. XLI, 47. 7) *B. C.* II, 56.

8) Drum. III, p. 488.

9) *B. C.* II, 44. — Cff. Drum. III, p. 451 et P. van Limb. Brouwer, *Cesar en zijne tijdgen.* III, p. 282.

met ipsius viscera disrumpentis 1), quod et cum Cicerone 2) et cum Floro 3) pugnat. Absurda porro profert Appianus narrans, Sex. Pompeium per nuntios Octavium rogasse, num vellet navali proelio decernere; hunc conditionem accepisse, et sic pugnae diem praestitutam fuisse 4). Idem teste Drumanno a vero aberrans memorat, Octavii matrem et sororem eum in aede Vestae salutasse 5) Antoniumque clade altera accepta amicos ab armis in consilium advocavisse 6), et falsa enarrat de Antonio Lepidum adeunte 7). Taceo ea, quae etsi haud omnino verisimilia non solum ab Appiano, sed ab omnibus fere scriptoribus traduntur 8).

Quemadmodum Appiani stilus et dictio ac narrationis totius color docent, eum Polybii dicendi habitum ob oculos habuisse et exprimere voluisse 9), ita eundem in causis rerum investigandis et data opera exponendis imitatus est. Hanc historiae conscribendae rationem pragmaticam ubivis cernimus. Variae afferuntur causae, cur Caesar dictaturam recusaverit et se tantum consulem in annum sequentem designaverit 10); quare Cn. Pompeius dubius esset, an castra Caesaris apud Dyrrachium aggrederetur 11); quare Pompeium iam ante Pharsalicam pugnam languor quidam et aegritudo animi occupavisset 12), et post illam Aegyptum potissimum peteret 13). Scriptor inquirit in causas, ob quas Caesaris milites noluerunt dimitti 14), et explicat, quibus rebus Brutus ad Caesarem occidendum accensus sit 15). Ex eodem discimus, quî factum sit, ut Antonii simultas in Octavium erumperet 16); quare idem a

1) *B. C.* II, 101. 2) Cic. *Phil.* VIII, 6; XIV, 3.
3) Flor. IV, 2 § 89.
4) *B. C.* V, 118. — Cff. Drum. IV, p. 584 et Dorn Seiff. p. 23, 24.
5) *B. C.* III, 92. — Cf. Drum. I, p. 335, not. 85.
6) Ibid. 72. — Cf. Drum. I, p. 347.
7) Ibid. 84. — Cf. Drum. I, p. 354.
8) App. *B. C.* II, 110. Cf. Drum. I, p. 142. — *B. C.* III, 82. Cf. Drum. I, p. 329, 330.
9) Cf. Schoell, *Gesch. der Griech. Lit.* II, p. 428. Cuius opinio mihi magis arridet quam sententia eorum, qui Appianum Thucydidis ac Sallustii filum orationis sibi proposuisse putent. Cf. Schweigh. *Exercit.*, p. 80 not.
10) *B. C.* II, 48. 11) Ibid. 62. 12) Ibid. 69. 13) Ibid. 83.
14) Ibid. 93. 15) Ibid. 112. 16) *B. C.* III, 21.

senatu peteret, ut permutatis provinciis sibi liceret Galliam citeriorem obtinere 1) quibusque argumentis fretus Octavium sibi insidiari crederet 2). Haec exempla indicant, Appianum non temere iudicasse. Cum Eggero tamen fateor, eum mihi videri dubiis nimis indulsisse et raro suum iudicium apposuisse 3).

Sed non solum multas causas expromit, sed interdum sagacissime maxime latentes et verissimas causas eruit. Optime intelligit, hominum favorem ideo multo propensiorem in consules Marianos fuisse, quod Sulla post primum bellum Mithridaticum patriam hostiliter petere videretur, consules vero praetextu uterentur reipublicae 4). Quamquam omnia haud perspicit, probabiliter tamen disserit de Sulla summam potestatem sponte deponente, et fatetur, rem sibi satis miram videri 5). Bene iudicat de causa, quae C. Cassium incitaverit ad classem Caesari dedendam, quamvis admodum prudenter moneat „nec enim aliam causam facti video" 6). Bellum Marianum et ex aliis causis, et vero praesertim ex immoderata Marii honorum cupiditate natum esse, recte sentit 7). Plus fidei merentur Livius et Appianus de ansa Cinnae mortis disputantes 8), quam ea, quae Plutarchus hac de re praebet 9). Veras Tib. Graccho tribuit causas, cur hic legem agrariam instauraverit 10). Facile eidem accedas explicanti, quomodo Druso multa in gratiam senatus et equestris ordinis tentanti res praeter opinionem in contrarium cesserit 11). Acutissime perspexit, quare Octavius nuntio de Caesaris morte accepto statim expavesceret, quamvis

1) Ibid. 27. 2) Ibid. 39. — Cf. porro *B. C.* II, 125; III, 50; IV, 5, 135; V, 77, 85, 91, 93, 96, 102, 127.

3) Egger, p. 251. 4) *B. C.* I, 82.

5) Ibid. 103. — Cf. Drum. II, p. 495, 496. 6) *B. C.* II, 88.

7) *B. C.* I, 55. — Cf. Flor. III, 21.

8) Liv. *ep.* 83. — App. *B. C.* I, 78. 9) Plut. *Pomp.* 5.

10) *B. C.* I, 9, 11. — Easdem causas habet Plut. *Tib. Gracch.* 8, 9, qui tamen alio loco tam iniquus est in Tiberium, ut Niebuhrii (*Vortr.* II, p. 269 et 274) reprehensione dignus sit. Immerito Fabricius Appianum recenset inter eos scriptores, qui, ut Cic. *Brut.* 27; *de Harusp. resp.* 20; Vell. Pat. II, et Oros. V, 8, causam Gracchanae seditionis in eo ponunt, quod Tib. a nobilitate inter auctores Numantini foederis notatus esset, Fabric. *ad Oros.* l. l. — Florus III, 4 et bonam et malam causam memoravit.

11) *B.* C. I, 35. — Cf. (A. V.) *d. i. v.* 66.

de ceteris rebus nihil adhuc compertum haberet 1). Ipse se penitus in rem introspexisse probat, quando dicit, prudentiores intellexisse, multum interesse Octavii, ut Antonius etsi in eum iniquus salvus esset 2). Haudquaquam a vero abhorrent quae idem de causis contumaciae militum disciplinaeque militaris pessumdatae scribit 3). Scire cupiens, unde bellum Perusinum ortum sit, e nullo melius quam ex Appiano quae quaeris haurire possis 4). Solus Appianus ostendit, Sertorium ob frequentiam transfugarum exasperatum milites atroci saevitia tractare coepisse atque ea re in odium suorum incurrisse 5).

Raro fallitur in rerum causis indagandis, quod tamen eo loco factum est, quo putat, triumviros propterea e proscriptorum aedibus vendendis non satis pecuniae collegisse, quod praedia vilissimo pretio venirent 6). Pariter causa praecipua, cur Octavius se lege curiata in Caesaris familiam ac nomen insereret, ex Appiano erui non potest 7). Inepta sunt quae apud eundem de Sibyllino oraculo tanquam causa, cur bellum Parthicum a Caesare susceptum sit, leguntur 8). Verum pauca eiusmodi non nimis sunt urgenda.

Quam accurate autem Appianus res, quas tractat, meditatus sit, quam acute de iis iudicaverit, e multis documentis perspicuum est, quorum haec sufficiant. Recte statuit, indignum imperatore esse, quod acciderit Scipioni, ut non senserit tantam totius exercitus conspirationem 9). Jure improbare videtur, consules non sivisse, Cn. Pompeium artium belli peritissimum ex sua sententia firmis niti consiliis 10). Verissime monet, Curionem valde imprudenter exercitum debilem contra hostes in planitiem deduxisse 11). Merito existimat, Cae-

1) *B. C.* III, 10. 2) Ibid. 39. — Cf. Drum. I, p. 202.
3) *B. C.* V, 17. 4) *B. C.* V, 19, 59, 66. 5) *B. C.* I, 112.
6) *B. C.* IV, 31. — Cf. Drum. I, p. 381.
7) *B. C.* III, 94. — Cf. Drum. I, p. 337. 8) *B. C.* II, 110.
9) *B. C.* I, 85. Appiano assentiuntur de ratione, qua Scipio a copiis suis desertus sit, Cic. *Phil.* XIII, 1; Diod. Sic. XXXVIII, 16; Vell. Pat. II, 25; Flor. III, 21; Eutrop. V, 7. — Longe alia tradunt Liv. *ep.* 85 et Plut. *Sull.* 28 et *Sert.* 6, ubi tamen perperam Sertorius etiam a Sulla deprehensus esse dicitur.
10) *B. C.* II 36. 11) *B. C.* II, 45.

saris percussores plebem largitionibus tentantes duas res inter se contrarias exspectavisse, ut iidem libertatem amarent, qui largitionibus corrumperentur 1). Semper in magistratibus potiorem esse vetantis auctoritatem, recte animadvertit 2). Senatu modo Antonio, modo Octavio congratulante cum ironia quaerit, quinam essent, qui paulo ante convicia in Antonium iecissent et mox eundem deduxissent 3). Sed haec hactenus. Alia specimina prudentis Appiani iudicii exhibent loci infra citati 4). Erravit certe, quando v. c. putat, a rege dictatorem nihil differre 5), sed cavet a multis opinionibus ridiculis, quarum et alii, et Dio non expers est. Nequaquam enim arbitratur, honoratiores inter Romanos serio 6), sed per iocum 7) Cn. Pompeium Agamemnonem vocasse, neque censet, Brutum Cassium 8), sed hunc illum 9) in societatem coniurationis pertraxisse. Interdum tamen eius iudicium aegre desideramus, quod e. g. non interponit de Tib. Graccho Octavio per populi suffragia magistratum abrogante 10), de nobilium odio in Gracchum 11), in quibus rebus narrandis Plutarchus suam sententiam diserte declarat 12).

Ex iis, quae huc usque attulimus, satis patet, Appianum verum dicere tum potuisse, tum, ubicunque potuit, voluisse. Cui vero studio veritatem patefaciendi unum ei inhaerens vitium magnopere nocuit, quod nimirum rhetorum hyperbolis nonnihil delectatur 13). Ex hoc fonte fluxerunt narrationes eiusmodi: Spartacum captivos cunctos interfecisse 14), Pompeianos et Caesarianos in itinere Dyrrhachium versus ut in cursus cer-

1) *B. C.* II, 120. 2) *B. C.* III, 50. 3) Ibid. 46, 47.

4) *B. C.* I, 20, 21; IV, 89, 124; V, 25, 94.

5) *B. C.* II, 111. — Cf. Hoeck, *Röm. Geschichte* I, p. 203, not. 2.

6) Dio Cass. XLII, 5. 7) *B. C.* II, 67.

8) Dio Cass. XLIV, 14. 9) *B. C.* II, 112.

10) B. C. I, 12. 11) Ibid. 17.

12) Plut. *Tib. Gracch.* 11, 15, 20. — Cf. Nieb. *Vortr.* II, p. 279.

13) Egger, p. 269: „Appien et Plutarque sont des rhéteurs historiens" et p. 261: „sous les habitudes graves et sérieuses de l' historien qui parle à la postérité, perce encore chez lui l' ambition du rhéteur qui flatte le faux goût de res contemporains."

14) *B. C.* I, 117. — Hoc enim extenuatur loco Orosii, V, 24 testantis, Crassum postea tria millia civium Romanorum recepisse.

tamine inter se contendisse 1), Caesarem et Pompeium paulo ante pugnam Pharsalicam lacrimavisse 2). Rhetorice quoque conscripta sunt quae apud Appianum inveniuntur de Caesaris interfectoribus sese invicem vulnerantibus, de senatoribus post eundem interfectum sauciatis deque caede aliorum civium atque exterorum non consulto, sed per errorem facta 3). Huc porro pertinet falsa narratiuncula de curia post Caesaris mortem a populo concremata 4). Verum in primis rhetorum mos cernitur, ubi Appianus fuse persequitur, quid homines cogitaverint, senserint, metuerint, cuius rei luculentum exemplum in descriptione pugnae Pharsalicae exstat 5). Similiter tradit, quae coniurati ante et post Caesaris mortem secum reputaverint 6). Alio loco Caesari verba tribuuntur, quibus eum usum esse vix credas 7). Sic frequenter ab orationis cursu deflectit, ut conditionem Italiae vel Romae coloribus vividioribus depingat 8), seu tempestatem toto aequore saevientem omniaque conturbantem 9) seu Lepidi calamitates adumbret 10).

Sed ut rite de iudicio scriptoris statuamus, necesse est etiam, ut paululum inquiramus in cognitionem geographiae aliarumve disciplinarum, qua Appianus instructus fuerit. Quum enim constet, historiarum scriptori maxime necessariam esse terrarum et locorum cognitionem, Appianum sibi eam nequaquam comparasse, verissime docuit Niebuhrius 11). Neque vero ideo cum Niebuhrio eundem indoctum et arrogantem appellaverim 12). Verumtamen merito Appiano obiicitur, quod ex eo

1) *B. C.* II, 55. — Cf. v. Limb. Brouw. *Cesar en zijne tijdgen.* III, p. 377.

2) *B. C.* II, 77. — Cf. ibid. p. 387: „Appianus maakt het nog gekker. Hij laat Cesar en Pompejus schreijen."

3) *B. C.* II, 117, 118. — Cf. C. Peter, *Philol.* VIII, 3, p. 431. — Vid. porro App. V, 117, 118 de pugna navali quadam.

4) *B. C.* I, 147. — Cff. Drum. I, p. 103, not. 59 et Peter l. l. p. 435.

5) *B. C.* II, 77.

6) *B. C.* II, 114, 119. Alia exempla habes *B. C.* III, 64; IV, 41, 127; V, 67.

7) *B. C.* II, 21. — Cf. Drum. III, p. 558, not. 99.

8) *B. C.* V, 13, 18, 67. — Neque praetermittatur locus de proscriptorum periculis, angoribus, doloribus, IV, 13-16.

9) *B. C.* V, 88, 89.

10) Ibid. 126.

11) Nieb. *Vortr.* I, p. 60. — Cui assentitur Schweigh. et alibi, et ad *B. C.* I, 47.

12) Dorn Seiff. p. 13.

crui non potest, de quonam Asculo 1), Lucaniae an Piceni oppido, et de quo Teano 2) loquatur; quod refert, P. Rutilium Lupum ad Lirim fusum esse 3), quippe qui apud Tolenum victus sit 4), quodque quum revera apud Capuam pugnatum sit 5), loco Capuae Canusium ponit 6). Simili errore Cn. Pompeii filios a Caesare non apud Mundam, sed apud Cordubam caesos tradit, et hanc urbem deinde oppugnatam esse 7). Falso commemorat, Arsinoën Mileti in aede Dianae Leucophrynes occisam esse 8); Philippis olim Daton nomen fuisse 9); triumviros haud procul Mutina convenisse 10). Falsam Appiani coniecturam de Liri flumine carpit Schweighaeuserus 11), qui praeterea innumeris locis nomina urbium vel locorum foede mutilata esse ostendit eaque emendare tentat 12), quemadmodum v. c. in loco 13) de Ciceronis villa „Capuam" in „Caietam" mutat. Fieri quidem potest, ut unum alterumve nomen scribarum culpa depravatum sit; sed plurima vitia eiusmodi ipsi scriptori imputanda, qui tam imperitus geographiae fuit, ut men-

1) *B, C.* I, 38. — Eiusdem negligentiae accusandi Vell. Paterc. II, 15 et Flor. III, 18. — Asculum Picenum intelligendum esse, recte vidit Schweigh. ad *B. C.* I, 38 et 47. Cf. Kiene, *der Röm. Bundesgenossenkrieg*, p. 205.

2) *B. C.* I, 45. — Cff. Freinsh. XIII, 57 et Schweigh. ad h. l.

3) *B. C.* I, 43, quem perperam sequitur Peter, *Zeittaf. der Röm. Gesch.* p. 142, not. 5.

4) Ovid. *Fast.* VI, 565. — Oros. V, 18. — Cff. Freinsh. LXXIII, 29; Reiff, *Gesch. der Bürgerkr.* I, p. 223; von Kobbe, *Röm. Gesch.* II, p. 128; Kiene, p. 197, not. 1.

5) Vell. Pat. II, 5. — Plut. *Sull.* 27. — Eutrop. V, 7. — Oros. V, 20.

6) *B. C.* I, 84. — Eodem vero loco Appianus Capuae meminit, quapropter Drum. II, p. 459, not. 85 coniicit, eum „Casilinum" pro Canusio scripsisse. — Cf. Nieb. *Vortr.* II, p. 376, qui Canusium tuetur.

7) *B. C.* II, 104, 105. — Cf. Drum. III, p. 636, not. 97; p. 641, not. 33.

8) *B. C.* V, 9. — Cf. Drum. I, p. 393, not. 71.

9) *B. C.* IV, 105. — Cf. Drum. II, p. 140.

10) *B. C.* IV, 2; V, 6. — Cf. Drum. I, p. 359.

11) Schweigh. ad *B. C.* I, 39.

12) Schweigh. ad *B. C.* I, 42, 47, 91; II, 56, 149; III, 98; V, 103 et alibi.

13) Schweigh. ad *B. C.* IV, 19.

tionem faciat de Balarum portu 1), de Abala portu 2), de Paloenta 3), de Coccyno promontorio 4) aliisque locis, antiquis et recentioribus plane incognitis. Quin non uno loco provincias Cassio et M. Bruto datas recensens eas confundit et disturbat 5).

Neque silentio praetermittendum, Appianum interdum ipsa praelia enarrantem loca, ubi commissa sint, omittere, v. c.: Faventiam 6) Thapsum 7) aliaque 8) aut ipso nomine omisso *τινα νῆσον* vel simile quid ponere 9); quamquam fatendum est, nomina alibi saepissime annotata esse 10). Quid quod interdum locorum, urbium et castrorum situm accuratissime definit et copiose describit, quod valet de Pharsalo 11), de Apollonia 12), de Calatia et Casilino 13), de Arimino 14), de Laodicea 15), de faucibus Corpilorum et Sapaeorum 16), de Philippis 17), de Bruti Cassiique castris 18), de Gabiis 19), de Fulginio 20), de Brundusio 21). Eadem diligentia itinera terrestria, expeditiones, navigationes persequitur, quemadmodum probatur historia belli Spartacii 22), loco de Caesaris expeditione 23), historia itinerum D. Bruti 24) Octaviique navigationum 25), praesertim vero loco quodam de Octavii itinere 26). Optime porro Appianus *Cossyram* habet, ubi apud

1) Cff. Schweigh. ad *B. C.* IV, 85; Drum. IV, p 566, not. 46 et Dorn Seiff. p. 63, not. 1.

2) Cff. Schweigh. ad V, 112 et Drum. IV, p. 582.

3) Cff. Schweigh. ad V, 55 et Drum. I, p. 419, not. 42.

4) *B.* C. V, 110. — Cff. Schweigh. ad h. l. et Dorn Seiff. p. 21, 22.

5) *B. C.* III, 63; IV, 57; III, 8. Postremum tamen errorem ipse emendavit *B. C.* III, 12, 16, 36; IV, 57. — Cff. Drum. I, p. 139 et Egger, p. 254.

6) App. B. C. I, 91. 7) B. C. II, 97.

8) B. C. I, 117, 118, 120; IV, 55, 61; V, 118.

9) B. C. I, 45, 62.

10) Cf. e. g. B. C. IV, 71, 72, 85, 115; V, 81-83, 106.

11) B. C. II, 75. — Cf. porro II, 56. 12) B. C. III, 9; vid. etiam 10.

13) Ibid. 40. 14) Ibid. 46. 15) Ibid. IV, 60. 16) Ibid. 87.

17) Ibid. 105. — Cf. tamen supra p. 94. 18) Ibid. 106. 19) B. C. V, 23.

20) Ibid. 35. 21) Ibid. 56. 22) B. C. I, 116-120.

23) B. C. II, 54 sq.

24) B. C. III, 97; IV, 88, 101, 103, ad quem locum cf. Schweigh.

25) B. C. V, 85, 109.

26) B. C. III, 10, 11. — Cf. Drum. I, p. 118, not. 99.

alios *Corcyram* legitur 1), studiose nomina geographica antiquitus celebrata cum recentioribus nominibus solet conferre, sicut Padum cum Eridano 2), Pithecusam cum Aenaria 3); discrimen inter Africam novam et veterem data opera exponit 4); originem nominis Sittianorum explicat 5); Strongylen unam e quinque insulis Aeoliis esse dicit 6). Recte Drumannus in iis, quae de Novocomensibus iure Latii donatis disputat Appianus, errorem notavit 7), sed iure etiam viros doctos reprehendit, qui Appiani testimonium 8), quo auctore triumviri in parva insula fluvii Lavinii congressi sint, reiicientes ad vanas coniecturas refugere malunt 9). Idem cum viro doct. Dorn Seiffen consentiens merito animadvertit, solum Appianum in proelii ad Scyllaeum descriptione nomen adiecisse 10). Plura diligentiae testimonia occurrunt *B. C.* IV, 72, 128.

Haec de geographia dicta sunto. Quod ad chronologiam attinet, de hac ita Appianus: „*Τοὺς δὲ χρόνους, ἐπὶ μὲν πᾶσι, περισσὸν ἡγοῦμεν καταλέγειν· ἐπὶ δὲ τῶν ἐπιφανεστάτων ἐκ διαστήματος ὑπομνήσω* 11), quibus verbis perspicue declarat, se hanc disciplinam parum curasse. Quapropter supervacaneum mihi videtur inquirere in exempla, quibus pateat, quatenus scriptor chronologiae peritus fuerit, eoque magis, quia iamiam eius diligentiam hac in re investigaturi sumus.

1) *B. C.* I, 96. — Cf. Schweigh. ad h. l. 2) *B. C.* I, 109. 3) *B. C.* V, 69. 4) *B. C.* IV, 53. 5) *B. C.* IV, 54. 6) *B. C.* V, 106. 7) App. *B. C.* II, 26. — Cff. Ascon. *in Pis.* p. 3 ed. Or. et Drum. III, p. 383, not. 26. 8) *B. C.* IV, 2. 9) Drum. I, p. 359, 360. 10) *B. C.* IV, 85. — Cff. Drum. IV, p. 566 et Dorn Seiff. p. 63, not. 1. 11) App. Praef. 13. — Quodnam damnum ex Appiani methodo peculiari totum eius opus contraxerit, egregie probant Schweigh. *Exerc.* p. 12 sq.; Ulrici, *Charakt. der ant. Hist.* p. 242 et Egger p. 245 sq.

CAPUT VI.

Qua cura ac diligentia Appianus in historia conscribenda versatus est?

Nobis de Appiani diligentia curaque dicturis nonnulla praemittenda videntur, quae ad eum excusandum dici possint, si quis forte ad numerum pondusque vitiorum, quae afferentur, respiciens putaverit, Appianum negligentis scriptoris notam nullo modo fugere posse. Optime hîc quadrant verba, quibus Meierotto de Livio usus est 1): „nostris scriptoribus adsunt exemplaria ad legendum, sine omni fere molestia, paratissima; adiuvant libri et segmenta bene et commode divisa, indices viam indicant, paginae quodvis viae ineundae spatium designant; Livio conquirenda erant e scriniis exemplaria. Si iam omnes esset nactus auctores, tum ad unamquamque rem constituendam ex integro quisque erat evolvendus. Nemo priorum auctorum alterum respexerat. Addesis operam evolvendi, requirendi notitiam eius ipsius rei, ad quam nulla indicis significatio deducebat; nullum argumentum libro antepositum, nullum capitum et distinctionum vestigium invitabat. Per indistincta voluminum, linearum, vocabulorum caecutientis instar tibi erat tentanda via, aperiendae locorum difficultates," e. q. s. Eaedem difficultates Appiano obstabant, quapropter verba illa egregie valent ad eum excusandum, si plus iusto erraverit. Sed praeter hanc animadversionem generalem, quivis recordetur, non omnia ab Appiano requiri licere, quod ipse passim expresse monet, se brevitati studere et praecipua tantum perstringere. Sic initio belli socialis: „*καὶ πολλὰ μὲν*, ait, *ἔδρασαν*,

1) Meierotto, *de Livii testimoniorum fide*, p. 31. —

πολλὰ δ᾽ ἔπαθον ὧν ἑκατέρων, ἐν κεφαλαίῳ φράσαι, τὰ ἀξιολογώτατα ἦν τοιάδε 1), et in historia proscriptionum secundi triumviratus se non omnia persecuturum 2) dicit.

Hoc vero studium brevitatis effecit, ut Appianus omnia ad rerum gestarum ordinem perspiciendum ac recte tenendum prorsus necessaria compendio suo non exhibuerit. Omisit enim res quasdam admodum memorabiles, quarum praecipuas nunc indicabimus. Tacuit, quomodo senatus post legem agrariam perlatam Tiberio Graccho repugnaverit 3); omisit legem de hereditate Attalica aliasque, quas ille tulit 4); a quibusnam Tiberius caesus sit quotque ex eius factione simul perierint 5), non dicit; praetermittit quaestiones post eius necem in plebem Romanam habitas 6) multasque leges a C. Graccho latas 7). Etsi de lege Sempronia iudiciaria 8) et de Livii Drusi conamine senatum et equestrem ordinem secum invicem conciliandi agit 9), tamen silet de lege Servilia et de lege C. Servilii Glauciae 10), quae arcto vinculo cum illis legibus iunctae erant. Non satis integram esse Appiani historiam belli socialis, licet aliorum scriptis plenior sit, viri docti iamdudum merito observaverunt 11), uti v. c. desunt quae Dio Cassius de P. Rutilii consulis imprudentia refert 12). E legibus a Sulla dictatore latis paucissimas strictim attingit 13), permultas praetermittit, ut legem

1) *B. C.* I, 40.

2) *B. C.* IV, 16. — Cf. Egger, p. 75. — Vid. etiam App. *B. C.* IV, 51, 52; V, 15, 30.

3) *B. C.* I, 13. — Cf. Plut. *Tib. Gracch.* 13.

4) *B. C.* I, 14. — Cf. Plut. *Tib. Gracch.* 14, 16.

5) *B. C.* I, 16. — Cff. Plut. *Tib. Gracch.* 19 et Oros. V, 9.

6) *B. C.* I, 17. — Cff. Cic. *de Rep.* I, 19; Sall. *Iug.* 31 et Plut. *Tib. Gracch.* 20.

7) *B. C.* I, 21, 22. — Cf. Plut. *C. Gracch.* 4, 5.

8) *B. C.* I, 22. 9) *B. C.* I, 35.

10) Cf. de his legibus Drum. II, p. 490.

11) Drum. IV, p. 320, not. 20: „Ueberall sucht man vergebens eine zusammenhängende Geschichte des Krieges." — Cff. Peter, *Zeitt.* p. 141, not. 2 et Nieb. *Vortr.* II, p. 351.

12) Dio Cass. ed. Reim. I, fr. 111, 112.

13) *B. C.* I, 100.

iudiciariam 1), legem de sacerdotiis 2), legem maiestatis 3), legem repetundarum, sumtuariam, testamentariam, de quibus conferendus Walterus 4) aliasque leges iudiciarias 5). Pariter apud Appianum frustra quaeritur, quid Sulla de numero quaestorum et praetorum constituerit 6).

In bello Sertoriano narrando Appianus item non pauca transiluit, cuius rei causam esse crediderim, quod bellum illud Sullanarum calamitatum reliquias habeat 7). Hinc enim factum puto, ut plures res inter Sertorium ex Italia proficiscentem Metellique adventum in Hispaniam et deinde gestae, quas Plutarchus commemorat 8) aliique attingunt 9), apud Appianum desiderentur 10). Quo pertinent Sertorii proelia contra Annium, eius consilium Insulas Fortunatas petendi, eius iter ad Africam et reditus in Hispaniam; clades Domitii Manliique; Sertorii ratio bellum gerendi aliaque. Hanc rationem quippe tam arcte cum quovis bello in his regionibus cumque ipsius ducis dotibus militaribus cohaerentem in primis uberrime describere debuerat Appianus, quod omnes fere scriptores bene intellexerunt, qui non satis habentes Sertorium rei militaris peritissimum praedicare eumque cum Hannibale comparare 11), eum non modo cum Philippo, Eumene, Antigono contulerunt, sed praesertim in more eius agendi prorsus singulari exponendo copiosissimi sunt 12). Sed haec exempla, quibus facile plura adiicere possim, paratam habent excusationem tum in Appiani consilio compendium exhibendi, tum in arbitrio cuiusvis scriptoris.

1) Cff. Cic. *in Verr.* Act. I, 13, 16; *pro Cluent.* 20; Vell. Pat. II 32; Tac. *Ann.* XI, 22.

2) Cff. Liv. *ep.* 89; Tac. *Ann.* VI, 12; (A. V.) *d. v. i.* 75.

3) Cff. Ammian. Marc. XIX, 12; Drum. II, p. 487; Walter, *Gesch. des Röm. Rechts* II, p. 422. 4) Walter II, p. 440; I, p. 302; II, p. 436.

5) Cff. Drum. II, p. 486 sq. et Walter II, p. 414, 417, 426, 436.

6) Cf. Tac. *Ann.* XI, 22 et *Dig.* I, 2 § 32.

7) *B. C.* I, 108. 8) Plut. *Sert.* 6-18.

9) Liv. *ep.* 90. — Flor. III, 22. — Eutrop. VI, 1. — Oros. V, 23.

10) *B. C.* I, 108. 11) App. *B. C.* I, 112.

12) Liv. *ep.* 96. — Plut. *Sert.* 1, 3, 4, 10, 13; *comp. Sert. cum Eumene* 1, 2. — Front. *Strat.* I, 5 § 1. — Gell. *Noct. Att.* XV, 22. — Ampel. 18.

Verum gravius est, Appianum interdum rerum narrationem non absolvisse aut tam negligenter egisse, ut quid sibi velit, vix intelligas. Sic accuratius quam Appianus 1) legem C. Gracchi frumentariam exponunt Cicero, Livius, Asconius et Plutarchus 2). Brevitatis studio factum est, ut quae Appianus de lege Spurii Thorii et de alius tribuni plebis lege disputat, obscura sint, quum et prioris legis argumentum partim modo commemorare videatur, et nomen huius tribuni reticeat 3). Parum accurate tradita sunt etiam quae de Asculo leguntur. Initio belli socialis Cn. Pompeius hanc urbem aggreditur, sed pedem referre cogitur 4). De hisce nihil habet Appianus, qui tantum dicit, Cn. Pompeium hostes proelio fusos in urbe Asculo inclusisse idque oppugnare instituisse 5). Num vero oppidum captum sit, nesciremus, nisi alii nobis succurrerent scriptores, docentes ita evenisse 6). Aliud est crimen, quo Schweighaeuserus scriptorem frustra liberare conatur. Cap. 45 libri I Caesar prope Acerras est, cap. 48 vero eundem apud Asculum invenimus, ubi, ut vidimus, Pompeium versari dixerat Appianus 7). Neque satis diligenter exposuit Appianus de Mario profugo et oberrante, qui quomodo Minturnas pervenerit, haud ostendit, absurdaeque causae eius discessum ex illa urbe tribuit eumque semel modo in insulam quandam escendisse putat 8). Multo accuratius iter illud persecutus est Plutar-

1) *B. C.* I, 21.

2) Cic. *pro Sext.* 25. — Liv. *ep.* 60. — Ascon. *in Pison.* 4 Orell. p. 9; *Schol. Bobiens. in Sext.* 25, 48 Orell. p. 300, 303. — Plut. *C. Gracch.* 5. — Cff. Walter, I, p. 356 et Nieb. *Vortr.* II, p. 292.

3) *B. C.* 1, 27. — Cff. Schweigh. ad h. l.; Drum. IV, p. 693, not. 70; Walter I, p. 294, not. 55; p. 295, not. 64 et Kiene, *der Röm. Bundesgenossenkr.* p. 127 sq.

4) Front. *Strat.* III, 17. — Oros. V, 18.

5) App. *B. C.* I, 47.

6) Liv. *ep.* 76. — Vell. Pat. II, 21. — Valer. Max. IX, 9 § 9. — Flor. III, 18. — Plut. *Pomp.* 4. — Gell. XV, 4. — Oros. V, 18.

7) *B. C.* I, 47. — Non enim accedo sententiae Schweighaeuseri ad cap. 48 opinantis, hic verba quaedam intercidisse et hac opinione nisi sensum restituere tentantis.

8) *B. C.* I, 61, 62.

chus 1), quicum plurimi scriptores consentiunt 2). Appianum legens 3) vix suspiceris, in Ianiculo pugnatum esse a Mario atque Cinna contra Octavium et Metellum 4), in cuius locum scriptor Pompeium supposuit adeoque pugnam illam, quae expressius indicanda erat, cum proelio ad portam Collinam videtur confundere. Apud Livium et Plutarchum porro urbem expugnat Marius, cui proditor quidam, si Appianum audis, portam clam aperit, quod a veri specie abhorrere censet Drumannus 5). — Nimis obiter perstricta sunt quae Appianus de Sulla reipublicae formam immutante literis mandavit. Legem de muneribus explicat ille quidem, sed quae de tribunitia potestate paene debilitata disserit 6) nihili sunt et ceterorum scriptorum testimoniis longe postponenda 7).

Scriptoris porro festinationi vel negligentiae innumeros errores tribuerim, qui quamquam nonnunquam minoris momenti aestimandi sunt, eius opus tamen dedecorant quosque strictim attingam. Falso significat, Caesarem Asculum obsidentem mortuum esse 8); Crassum filium ab hostibus, patrem a se ipso interemtum 9), et M. Antonium oratorem in villa interfectum esse 10). Paulo obscurius agit de senatusconsulto illo, quo Sulla *'Επαφρόδιτος* appellatus sit 11). Non facile mihi fidem fecerit affirmans, tribunatum plebis a Sulla ad senatum translatum tributaque comitia abrogata esse 12), quamvis Kienius postremum illud

1) Plut. *Mar.* 36-40.

2) Cic. *pro Sext.* 22; *pro Planc.* 10. — Liv. *ep.* 77. — Vell. Pat. II, 19. — Flor. III, 21. — (A. V.) *d. v. i.* 67. — Oros. V, 19.

3) App. *B. C.* I, 68. 4) Liv. *ep.* 80. — Plut. *Mar.* 42.

5) Drum. II, p. 182. 6) App. *B. C.* I, 100.

7) Cic. *de Leg.* III, 9; *in Verr.* Act. II, lib. I, 60. — Caes. *Bell. Civ.* I, 5, 7. — Sall. *Bell. Cat.* 38. — Dion. Halic. V, 77. — Suet. *Caes.* 5. — Liv. *ep.* 89. — Vell. Pat. II, 30. — Ascon. in *Cic. in Divin.* p. 102 Orell. — Plut. *Pomp.* 21. — Tac. *Ann.* III, 27. — Cf. Hoeck I, p. 75, not. 5.

8) *B. C.* I, 48. — Cf. Schweigh. ad h. l.

9) *B. C.* I, 72. — Aliter Cic. *de Orat.* III, 3; *pro Sext.* 21; Liv. *ep.* 80; Ascon. *pro Scauro* p. 23 Orell.

10) *B. C.* ibid. — Cff. Plut. *Mar.* 44 et Drum. I, p. 62.

11) *B. C.* I, 97. — Cf. Schweigh. ad h. l.

12) *B. C.* I, 100. Cf. Drum. II, p. 485. — *B. C.* I, 59. Cff. Drum. II, p. 484 et Hoeck I, p. 78.

probet 1). Perperam dicit Appianus, Alexandrum, quem Sulla Alexandrinorum regem creavit, intra paucos dies exstinctum esse 2), et Perpernam ultro ad Sertorium accessisse 3), et Metellum Perpernamque proelio ad Sucronem interfuisse 4), et Caesarem reliquo anni 59 tempore senatum non amplius habuisse 5). Haud accurate loquitur narrans, Pompeium Oricum recepisse 6) atque apud Pharsalum priorem iussisse signa canere 7); Caesarem Pisoni suum credidisse testamentum 8) et auctoribus Aegyptiis annum ordinasse 9); D. Brutum a Caesare adoptatum fuisse 10). Mireris, Appianum quod ceteri scriptores Minucio adscribunt Scaevae tribuere, unde sequitur, ut facinus illud Scaevae omnibus scriptoribus, si Appianum excipias, ignotum sit 11). In pugnarum descriptionibus nonnulla quoque conturbat Appianus 12), quae Brouwerus merito reprobat 13). Teste Hageno 14) idem insidias Ciceroni a Catilinae factione structas exponens 15) duo Sallustii testimonia 16) conflavit et ita diversissima permiscuit. Quae auctores sui de agro Campano retulerunt, non recte intellexisse videtur 17). Plura addere possim, sed eiusmodi vitiis recensendis finem facere lubet eoque magis, quod ea, quae nos tantum indica-

1) Kiene, *der Röm. Bundesgenossenkr.*, p. 283.

2) *B. C.* I, 102. — Cf. Drum. p. 495, not. 81.

3) *B. C.* I, 108. — Cf. Plut. *Sert.* 15.

4) *B. C.* I, 110. Cff. Plut. *Sert.* 19, *Pomp.* 19 et Drum. IV, p. 367, not. 59. — Quod vitium Freinsh. XCII, 2 fugisse videtur.

5) *B. C.* II, 10, 13. — Cff. Drum. III, p. 202 et Hoeck I, p. 127, not. 4.

6) *B. C.* II, 56. — Cf. Drum. III, p. 486, not. 83.

7) *B. C.* II, 78. — Cf. Drum. III, p. 513, not. 38.

8) *B. C.* II, 136. — Cff. Plut. *Ant.* 58 et Suet. *Caes.* 83, *Oct.* 101.

9) *B. C.* II, 154. — Cf. Ideler, *Handbuch der Chron.* I, 161, 170, 171.

10) *B. C.* II, 143, 146. — Cff. Drum. I, p. 100; Egger p. 254 et C. Peter, *Philol.* VIII, 3 p. 435.

11) *B. C.* II, 60. — Cff. Drum. III, p. 495, not. 24 et v. Limb. Brouwer, III, p. 382. 12) *B. C.* II, 43, 56, 60, 95.

13) v. Limb. Brouwer, III, p. 279, 380; IV, p. 193.

14) Hagen, *Untersuch über Röm. Gesch.* I *Catil.*, p. 237. — Cf. Reim. *ad Dion.* I, p. 132 § 124.

15) *B. C.* II, 3. 16) Sall. *Bell. Cat.* 28, 43.

17) *B. C.* II, 10. — Cf. Drum. III, p. 197, 198.

mus, ab aliis notata sunt 1). Si quis vero vitiorum eiusmodi causam in Appiani imperitia linguae latinae sitam esse putaverit, me prorsus dissentientem habebit.

Nobis supra 2) apparuit, quam parvi se chronologiam fecisse ipse Appianus declaret. Demonstrandum est igitur nunc, illud revera per totum opus cerni. Et primum quidem animadvertendum est, Appianum fere nusquam annos rebus narratis adiecisse, sed satis habere huiusmodi verbis uti: „τῷ δ'αὐτῷ χρόνῳ 3), αἷς ἡμέραις 4), τοῦ δ'ἐπιόντος ἔτους 5), ἀρχομένου δ'ἦρος 6), τοῦδε τοῦ ἔτους 7). Cuiusmodi vero temporis definitiones nihili esse, nisi post uniuscuiusque anni res gestas iterentur, ipsa res docet. De annis itaque Appianum legentibus incerto vestigio errandum est. Attamen fatendum, quaedam diligentiae vestigia nobis hac in re occurrisse, ad quae referimus, scriptorem commemorare, belli Sullani initium in Olympiadem centesimam septuagesimam quartam incidere 8) atque Capitolium quadringentis annis ante conditum esse 9); populum Romanum Olympiade centesima septuagesima sexta Bithynia et Cyrene auctum esse 10). Saepissime quoque annotat, intra quot menses diesve res quaedam confecta sit 11), vel quoto die aut mense quiddam acciderit 12). Quid quod et insueta diligentia refert, qua hora Octavio annuntiatum sit, Caesarem in senatu occisum esse 13), et accuratissime rationem habet omnium reconciliationum partitionumque Octavii et Antonii 14), etvero triumviros sibi potestatem in quinquennium

1) *B. C.* II, 48. Cf. Drum. III, p. 473. — *B. C.* II, 49. Cf. Drum. III, p. 483, not. 60. — *B. C.* II, 102. Cf. Egger p. 33, not. *B. C.* II, 116. Cf. Drum. III, p. 726, not. 96. — *B. C.* II, 135. Cf. Peter, *Phil.* VIII, 3 p. 436. — *B. C.* V, 95. Cf. Drum. I, p. 371, not. 80.

2) Vid. supra p. 96. 3) *B. C.* I, 28, 54, 116.

4) *B. C.* I, 86. 5) *B. C.* I, 87, 103. 6) Ibid. et 110.

7) *B. C.* I, 112 et alibi.

8) *B. C.* I, 84. 9) *B. C.* I, 83.

10) *B. C.* 111. — Alia exempla inveniuntur I, 118, 121.

11) *B. C.* I, 121; II, 19, 90, 103; V, 99, 101.

12) *B. C.* II, 48, 54, 103, 111, 114, 149; III, 50, 71; IV, 71, 116; V, 34, 97, 98, 114.

13) *B. C.* III, 9. 14) *B.* C. III, 30, 39; IV, 2; V, 20, 64, 65.

prorogavisse haud omittit 1). Nihilominus haec exempla non eam vim habent, ut crimen negligentiae comminuant. Contrarium obtinet: quum enim multo pluribus locis videamus, Appianum tempora nequaquam curasse, eum perquam socordem fuisse rationis annorum, haud ambigue affirmamus.

E negligentia, qua Appianus de industria in temporibus annotandis versatur, hoc damnum fluxit, ut in rebus narrandis saepissime a vera temporum ratione recesserit. Hinc enim factum puto, ut dictum illud „hic mihi impetrabit" et in alienum tempus transtulerit, et personae alienae tribuerit 2), etvero alio loco crediderit, Lepidum Antonio in magisterium equitum successisse 3), quod munus Lepido prorogatum esse potius dicere debuit. In iis, quae de Scipione consule theatrum demoliente scripsit, ab insignis anachronismi culpa purgari nequit 4). Quales anachronismi non semel in hoc opus de bellis civilibus irrepserunt, v. c. de Sertorio in Hispaniam proficiscente 5), de Gabinii itinere in Illyriam 6) et de plurimis aliis rebus 7). Alterum detrimentum, quod ex socordia illa Appiani provenit, in eo constat, quod interdum in rebus chronologicis a vero deflectit. Quamquam enim quae de bello

1) *B. C.* V, 95.

2) *B. C.* II, 25. — Cff. Plut. *Caes.* 29; Drum. III, p. 406, not. 60; Egger, p. 258; v. Limb. Brouwer III, p. 88.

3) *B. C.* II, 107.

4) *B. C.* I. 28. — Cf. scriptores a Schweigh. ad h. l. citati et insuper Oros. IV, 21 et August *de Civit. Dei* I, 31.

5) *B. C.* I, 108. — Cff. Iul. Exuperant. *de bell. civ.* in Hist. Rom. script. lat. min. Francofurt. I, p. 661 et Drum. IV, p. 353, not. 75.

6) *B. C.* II, 59. — Cf. Drum. III, p. 60, not. 24.

7) *B. C.* II, 23, 24. Cff. Schweigh. ad h. l. et v. L. Brouwer III, p. 86. — *B. C.* I, 77. Cf. Drum. II, p. 589, not. 77. — *B. C.* II, 9. Cf. Drum. III, p. 192, not. 70. — *B.. C.* II, 17. Cf. Drum. III, p. 278, not. 34, p. 280, not. 41. — *B. C.* II, 48. Cf. Drum. III, p. 470, not. 42. — *B. C.* II, 142. Cf. Drum. I, p. 96. — *B. C.* III, 28. Cf. Drum. I, p. 123. — *B. C.* II, 148 et III, 35. Cf. Drum. I, p. 134. — *B. C.* II, 124 et III, 2, 6, 16. Cf. Drum. I, p. 135. — *B. C.* III, 25, 37, 52. Cf. Drum. I, p. 160. — *B. C.* III, 35. Cf. Drum. I, p. 164. — *B. C.* III, 45. Cf. Drum. I, p. 208. — *B. C.* III, 74. Cf. Drum. I, p. 306, not. 81, 84. — *B. C.* III, 86, 88. Cf. Drum. I, p. 316, 323. — *B. C.* V, 132. Cff. Drum. IV, p. 269, not. 97 et Egger p. 258.

Sertoriano per octo annos continuato scribit 1), haud omnino displicent, magis probandi sunt alii scriptores, secundum quos bellum illud decem annos duravit 2). Reiiciendum est testimonium Appiani, quo auctore Caesar magistratus urbanos annuosque et provinciarum praefecturas in quinquennium ordinavit 3). Idem fallitur de die, quo senatus post mortem Caesaris convenit 4). Neque recte designat, quot annos triumviratus Octavii, Antonii, Lepidi permanserit 5). Aliud mendum ostendit Drumannus de tempore, quo Caesar aedem Veneri, progenitrici suae, sacrandam vovit 6). Verum iniquissime in Appianum invehitur Scaligerus scriptoris delirium clamans 7) ob errorem quendam in primo libro obvium de numero Olympiadum, per quas Romani regibus usi sunt 8), ut merito perhibet Schweighaeuserus, qui h. l. in numerorum nota a librariis erratum esse admodum probabiliter statuit 9).

Tertium, quod animadvertendum est, spectat numeros militum, legionum, caesorum, navium aliarumve rerum vel personarum, quos Appianus saepissime recenset 10). Sicut vulgo diligenter distinguit inter naves longas et onerarias, ita non semel tradit, quot milites cuiusque generis, i. e. quot legionarii, quot tirones, quot equites, quot triarii, quot velites, quot sagittarii, quanti milites variarum gentium in exer-

1) *B. C.* I, 108.

2) Liv. *ep.* 96. — Eutrop. VI, 1. — Oros. V. 23. — Cff. Fabric. *ad Oros.* l. l.; Schweigh. *ad App.* l. l. et Drum. IV, p. 376, not. 20. Male Peter *Zeittaf.* p. 156, not. 17: „der Krieg wurde nach Liv. im 8ten Jahre beendigt."

3) *B. C.* II, 128, 138. — Cff. Drum. III, p. 681 sq.; Hoeck I, p. 207, not. 5 et Peter, *Phil.* VIII, 3 p. 435. — Simile mendum exstat *B. C.* II, 18. Cf. Schweigh. ad h. l.

4) *B. C.* II, 131, 132. — Cff. Drum. I, p. 90 et Peter, *Phil.* VIII, 3 p. 434.

5) *B. C.* V, 13, 15, 95. — Cf. Egger p. 258.

6) *B. C.* II, 68. — Cf. Drum. III, p. 509, not. 94.

7) Scalig. *Canon Isag.* III, p. 346.

8) *B. C.* I, 99.

9) Schweigh. ad *App.* l. l. — Simile exemplum occurrit *B. C.* I, 98, ubi vid. Schweigh.

10) *B. C.* I, 42, 50, 89, 90, 91, 110; II, 7, 32, 34, 44, 60, 70, 96; III, 24, 40, 43, 46, 49, 78, 79, 91, 97; IV, 6, 7, 65, 66, 72, 74, 75, 86, 87, 108, 115, 121, 131, 135; V, 2, 24, 27, 50, 51, 95, 98, 99, 104, 110, 120, 121, 127, 140.

citibus fuerint 1), licet non ubique talia apposuerit 2). Negari tamen nequit, eum diligentissima cura hac in re versatum esse, quippe qui numerum senatorum in Curionis sententiam discedentium eorumque, qui in alia omnia abirent, referat 3), senatorum et equitum proscriptorum meminerit 4), 6000 fugitivorum a Crasso e crucibus suspensa esse tradat 5), quantum pecuniae Antonius militibus miserit 6) aut M. Brutus in Asia collegerit 7), haud omittat, denique aliis scriptoribus crebro longe accuratior sit. Nam quum Plutarchus tantum tradat, Sertorium senatum instituisse 8), Appianus hunc e trecentis viris constitisse docet 9); quumque Frontinus affirmet, Sertorium ad Lauronem immensam multitudinem Romanorum cecidisse 10), Appianus rectissime eum unam tantum legionem simul cum iumentis calonibusque concidisse scribit 11). Huius generis documenta testantia, quam sedulo Appianus haec conquisiverit, exhibent in primis capita de bello Spartacio 12), exhibet etiam collatio plurimorum locorum Appiani cum aliis scriptoribus 13).

Ubi tamen variant auctores, de numeris non convenire ingenue dicit 14), et ab augendo hyberbolisque afferendis abstinet. Exemplo sit locus, quo agitur de Cinnae copiis, cui nequaquam, Velleii 15) instar, triginta legiones fuisse existimat 16). Idem apparet e cap. 100 libri primi. Ibi enim cavet ab errore Livii putantis, Sullam agros quadraginta septem legionibus divisisse 17), ipseque modo viginti tres legiones 18)

1) Vid. e. g. II, 49, 70; IV, 75, 88.
2) *B. C.* I, 43 coll. cum Oros. V, 18. — *B. C.* II, 62.
3) *B. C.* II, 30. 4) *B. C.* IV, 5. 5) *B. C.* I, 120.
6) *B. C.* III, 45. 7) *B. C.* IV, 75. — Vid. porro V, 129.
8) Plut. *Sert.* 22, 23, 25.
9) *B. C.* I, 108; *bell. Mithr.* 68; *Hisp.* 101.
10) Front. *Strat.* II, 5 § 31.
11) App. *B. C.* I, 109. — Cf. Drum. IV, p. 363, not. 44.
12) App. *B. C.* I, 116-118 coll. cum Liv. *ep.* 95; Flor. III, 20; Plut. *Crass.* 9; Oros. V, 24.
13) Cf. e. g. App. *B. C.* II, 82 cum Plut. *Caes.* 46. Vid. Riedel IV, p. 368, not. 14) *B. C.* III, 42.
15) Vell. Pat. II, 20. — Cff. Drum. II, p. 583 et Reiff, *Gesch. der Bürgerkr.* I, p. 275.
16) *B. C.* I, 66. 17) Liv. *ep.* 89. 18) *B. C.* I, 100.

vel circiter centum viginti millia virorum 1) adfuisse censet. Verum fatendum est, eandem prudentiam non ubivis cerni teste loco illo, ubi numerum caesorum et vulneratorum post proelium apud portam Collinam in utrisque castris ad quinquaginta millia aestimatum esse credit 2), aut viginti quatuor lictores regibus Romanis praeire consuevisse existimat 3), aut C. Cassio septuaginta triremes fuisse putat 4). Alia vitia eiusmodi notant Schweighaeuserus 5) et Drumannus 6). Appianus aetatem Octavii bene definit 7), sed eum de Sex. Pompeii aetate falli observat Eggerus 8). Haec tamen leviora censenda, et large compensantur tum iis diligentiae indiciis, quae attulimus, tum iis, quae praeterea afferemus. Huc enim pertinet, quod Appianus solus Caii Gracchi leges per duos eius tribunatus 9) resque bello Sertoriano gestas 10) per annos distribuit. Neque praetermittendum est, eum frequenter solum inter scriptores rerum esse, qui numeros rerum narrationi apponat. Quos v. c. solus adiicit exponens de Crassi legionibus 11); de legionibus equitibusque a Caesare expeditionem contra Getas et Parthos suscipere cogitante 12) praemissis; de praemio, a senatu proposito indicibus pecuniarum dilapidatarum 13); de exercitu Macedonico 14); de Octavii copiis 15); de proscriptis 16); de legionibus, quas Antonius et Octavius inter se diviserunt 17). Verius porro dicit, Marium iuniorem viginti septem annos natum fuisse 18), quam Livius eum nondum viginti annos natum fuisse opinans 19). Interdum vero,

1) Ibid. 104. 2) *B. C.* I, 93. — Cf. Drum. II, p. 467, not. 27.
3) *B. C.* I, 100. — Cf. Schweigh. ad h. l.
4) *B. C.* II, 88. — Cff. Drum. II, p. 121, not. 41 et v. L. Brouwer IV, p. 100. 5) Schweigh. ad *B. C.* II, 61; IV, 107.
6) Cf. Drum. III, p. 597, not. 87 de *B. C.* II, 68 et Drum. I, p. 210 de *B. C.* III, 46. 7) *B. C.* V, 132.
8) *B. C.* V, 69, 132. — Cf. Egger p. 257.
9) *B. C.* I, 21, 22, 23. — Cf. Peter, *Zeittaf.* p. 132, not. *t.*
10) *B. C.* I, 108-116. 11) *B. C.* I, 118.
12) *B. C.* II, 110. — Cf. Drum. III, p. 679. 13) *B. C.* III, 54.
14) *B. C.* III, 24. — Cf. Drum. I, p. 160.
15) *B. C.* III, 47. — Cf. Drum. I, p. 220.
16) *B. C.* IV, 5, 7. — Cf. Drum. I, p. 375. 17) *B.* C. V, 3.
18) *B.* C. I, 87. — Cff. Vell. Pat. II, 26; (A. V.) *d. v. i.* 68 et Drum. II, p. 461, not. 98. 19) Liv. *ep.* 86.

etsi raro, ipse scriptor sibi haud constat sibique repugnat 1).

Pervenimus ad aliam Appiani consuetudinem eamque non minus improbandam quam morem tempora obiter tantum et passim adnotandi. Illam scriptor sic expressit: „*Καὶ τὰ ὀνόματα Ῥωμαίοις πάλαι μὲν ἦν ἕν, ὥσπερ ἀνθρώποις ἅπασιν, ἑκάστῳ· μετὰ δὲ, ἐγένοντο δύο· καὶ οὐ πολὺς χρόνος, ἐξ οὗ καὶ τρίτον ἤρξατό τισιν, ἐς ἐπίγνωσιν, ἐκ πάθους ἢ ἀρετῆς προστίθεσθαι· καθὰ καὶ τῶν Ἑλλήνων τισὶν, ἐπὶ τὰ ὀνόματα, ἦσαν ἐπικλήσεις. Ἐγὼ δὲ, ἔστι μὲν, ὅπου καὶ πάντων ἐπιμνήσομαι, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν ἐπιφανῶν, ἐς γνώρισμα τῶν ἀνδρῶν· τὰ δὲ πολλὰ καὶ τούτους καὶ τοὺς ἄλλους, ἃ κυριώτατα ἡγοῦνται προσαγορεύσω* 2)." Ex hoc pravo more, quem Drumannus iure vituperat 3), primum ortum est hoc incommodum, quod eundem hominem varie appellat, ut M. Marium Gratidianum 4), quem perperam „alterum C. Marium" 5) et „C. Marium Gratidianum 6)" vocat, et C. Marcium Censorinum, quem aut Censorinum 7), aut Marcium 8) nominat, tum quod duas personas, e. g. Domitios, eodem nomine insignit 9). Verum et alii errores ex socordia illa profluxerunt. Sic L. Iulium Caesarem uno loco excepto 10) perpetuo Sex. Caesarem 11) dicit, et Papirii Carbonis collegam in consulatu, Marium, vitiose clari illius Marii fratris filium esse existimat 12), et M. Lucullum cum L. Lucullo confundit 13), et collegam Marcelli perperam Paulum vo-

1) Cf. Drum. I, p. 216 de *B. C.* III, 58 et I, p. 369 not. 66 de *B. C.* IV, 6, 7, 14. 2) App. Praef. 13.

3) Drum. I, p. 378, not. 71 et III, p. 703, not. 38.

4) Cff. Hazenberg, *de Caio Mario, Caii Marii filio*, p. 72 et Drum. II, p. 461, not. 97. 5) *B. C.* I, 65. 6) Cf. Schweigh. ad h. l.

7) *B. C.* I, 71. 8) *B. C.* I, 88, 90, 92, 93. — Cf. Schweigh. ad I, 71.

9) *B. C.* II, 76. 10) *B. C.* I, 72.

11) *B. C.* I, 40, 48 sq. — Cf. Schweigh. ad c. 40, 48, 72.

12) *B. C.* I, 87. — Cff. Liv. *ep.* 86; Diod. Sic. XXXVIII, 12; Vell. Pat. II, 26; Plin. *Hist. Nat.* XXXIII, 5; (A. V.) *d. v. i.* 68; Eutrop. V, 8, qui omnes Marium alterius Marii filium spurium habent. App. autem eum cum Mario Gratidiano confundere videtur. — Cff. Schweigh. ad I, 87. Hazenb. p. 26, 27 et Drum II, p. 461, not. 97.

13) *B. C.* I, 120. — Cf. Riedel IV, p. 117, not.

cat 1). Quem alii Bogudem appellant, is apud Appianum non bene Bocchus 2) audit. In errorem incidit, quem Dio Cassius vitavit 3), putans, M. Brutum a L. Bruto, regum expulsore, genus duxisse 4). Ubi Pompeii veteranos vult, de Caesaris veteranis loquitur 5).

Nescio porro, cur ei, quem alii Democharem nominant, modo Papiae 6), modo Democharis 7) nomen tribuerit. Nonnunquam sibi ipse obloquitur, nam alio loco T. Sextius Numidiam nomine Octavii, alio Antonii nomine regit 8). De nomine eius, qui Marii aetate Africam obtinebat 9), deque Fausto nomine seu cognomine 10), differt a Plutarcho. Duces excitat omnibus scriptoribus ignotos, ut P. Valerium 11). Alia menda afferunt alii ostendentes, e more Appiani unum tantum nomen citandi obscuritatem et confusas notiones oriri 12).

Quod attinet ad enumerationem personarum, quae in bellis civilibus primas vel secundas partes egerunt, in hac satis copiosum Appianum deprehendimus. Uberrime enim exponit de iis, quos Sulla hostes reipublicae iudicavit 13), etsi apud eum desideratur Q. Rubrius Varro, quem habet Cicero 14). Solus inter scriptores senatores e factione Cinnae 15) uno ex-

1) *B. C.* II, 26. — Cf. Drum. III, p. 398, not. 12.
2) *B. C.* II, 96; IV, 54. — Cff. Drum. III, p. 580, not. 67 et Brouwer IV, p. 188. 3) Dio Cass. XLIV, 12.
4) *B. C.* II, 112. — Cf. Reim. I, p. 389 § 65.
5) *B. C.* IV, 75. — Cf. Drum. IV, p. 32, not. 44.
6) *B. C.* V, 104, 106.
7) *B. C.* V, 83, 84, 85. — Cff. Schweigh. ad *B. C.* V, 106; Drum. IV, p. 579, not. 8; Egger p. 254 et Dorn Seiff. p. 16, 103, not. 1.
8) *B. C.* IV, 53; V, 26.
9) *B. C.* I, 62 coll. cum Plut. *Mar.* 40.
10) *B. C.* I, 97 coll. cum Plut. *Sull.* 34.
11) *B. C.* I, 116. — Cf. Schweigh. ad h. l.
12) Cff. Drum. III, p. 490, not. 96, 97 et v. L. Brouwer III, p. 397 de *B. C.* II, 58; Drum. III, p. 711, not. 1 et 7 de *B. C.* II, 113; v. Limb. Brouw. III, p. 189 et 279 de *B. C.* II, 40, 43; Drum. I, p. 429, not. 5 et Dorn Seiff. p. 73, not 2 de uxore Sex. Pompeii (App. *B. C.* V, 72) et Drum II, p. 132 de *B. C.* V, 4; Egger p. 258 de *B. C.* V, 42; Dorn Seiff. p. 18, 74, not. 3 et 4 et p. 130, not. 13 de Nasidio.
13) *B. C.* I, 60. — Cff. Liv. *ep.* 77; Vell. Pat. II, 19; Val. Max. III, 8 § 5; Flor. III, 21; Plut. Sull. 10
14) Cic. *Brut.* 45. 15) *B. C.* I, 65.

cepto Sertorio 1) nominaque eorum, qui coniurationis contra Caesarem participes fuerunt, exhibet 2). In primis Appianus testis locupletissimus praedicandus est in historia proscriptionum alterius triumviratus 3), sed prioris triumviratus proscriptiones satis strictim absolvit. Rhetorice quidem haec tempora adumbrat 4), sed multa desunt, quae alii scriptores memorarunt 5). Verum e ducibus belli socialis plurimi apud Appianum reperiuntur: Presenteius et Gutta sive Albinus a nullo alio scriptore laudantur 6); Lamponium, qui apud Florum Samnitibus adnumeratur 7), Diodoro 8) assentiens Lucanum dicit 9); cui genti Cluentius adscribendus sit, silet 10). Nonnullos tamen omisit: Cleptium 11), Agamemnonem archipiratam 12), Francum 13), Herennium 14), Iuventium et Obsidium 15). Item praetermittit, ad quos populos nonnulli horum ducum pertineant, nam reticet, Q. Pompaedium Silonem 16) Marsum 17) esse; C. Aponium Motylum, quem Papium sive Mutilum 18) vocat, Samnitem 19) esse; Herium Asinium 20) Marrucinis praeesse 21), Vettium 22) Marsis 23); Marium Egnatium/e Samnitibus oriundum esse 25).

Turpissima autem macula, qua totum opus ubivis large adspersum est, in eo sita est, quod tantum non omnia no-

1) Plut. *Sert.* 4.

2) *B. C.* II, 113. — Cf. v. Limb. Brouwer IV, p. 301.

3) *B. C.* IV, 12 sq. 4) *B. C.* I, 95, 96.

5) Cic. *de petit. cons.* 2, 3. — Liv. *ep.* 88, 89. — Diod. Sic. XXXVIII, 19. — Val. Max. IX, 2 § 1. — Ascon. *in Cic. in tog. cand.* p. 84 Orell. — Lucan. II, 173. — Flor. III, 21. — Plut. *Sull.* 31, 32. — Oros. V, 21. — De numeris cff. Cic. *in Cat.* III, 10 et Drum. II, p. 473.

6) *B. C.* I, 41, 90, 93. — Cff. Schweigh. ad h. l. et Drum. II, p. 467, not. 29. 7) Flor. III, 21. 8) Diod. Sic. XXXVII, 2.

9) *B. C.* I, 90. — Hoc discrimen non percepit Freinsh. ad *Liv.* LXXIII.

10) *B. C.* I, 50. — Neque Eutrop. V, 3 illud definit. — Unde ergo Freinsh. hauriat, eum Pelignum esse, nescio. Cff. Liv. *ep.* 75; Flor. III, 8 et Oros. V, 18.

11) Diod. Sic. XXXVII, 2. 12) Ibid. 19 et Oros. V, 18.

13) Oros. l. l. 14) Eutrop. V, 3. 15) Oros. V, 18.

16) *B. C.* I, 40, 44, 53. 17) Diod. Sic. XXXVII, 2.

18) *B. C.* I, 40, 42, 51. 19) Diod. Sic. l. l. 20) *B. C.* I, 40.

21) Liv. *ep.* 73. 22) *B. C.* I, 40, 41, 43. — Cf. Schweigh. ad 47.

23) Cic. *Phil.* XII, 11; Sen. *de Benef.* III, 23. 24) *B. C.* I, 40, 45.

25) Liv. *ep.* 75.

mina propria foede mutilavit truncavitque. *Nonius* 1) et *Varinius Glaber* 2) recte sese habent, sed Schweighaeuserus permagnam copiam nominum contulit 3), in quibus describendis Appianus negligentia admodum culpanda versatus est. Sed idem laude dignissimus, qui C. Cassium multo melius designet 4) quam aut Suetonius 5), aut Dio Cassius 6).

Ne quis tamen opinetur, Appianum ob haec aliaque vitia sane gravissima aliis scriptoribus longe postponendum esse, iam locos quosdam percurram, ubi singularis Appiani industria curaque elucet. Legem agrariam Tiberii Gracchi 7) et iudiciariam C. Gracchi 8) accuratius describit quam Plutarchus 9); teste Nitzschio admodum laude dignus est modus, quo Appianus universe Gracchorum leges recenset, qua in re omnibus aliis scriptoribus longe praestat 10); omnium uberrime Sullam Romam Marianosque aggredientem inducit 11); cum Plutarcho bellum Octavianum optime exponit 12); cognomina Sullae, quorum alii aliud habent13), omnia affert 14); docet, quî sit factum, ut Sulla dictator ad vitam creatus sit 15).

1) *B. C.* I, 28. — Cff. Drakenb. *ad Liv. ep.* 69 et Duker *ad Flor.* III, 16. 2) *B. C.* I, 116. — Cff. critici ad Liv. *ep.* 95.
3) Cf. Schweigh. *ad App. B. C.* I, 58, 91, 110; II, 20, 47, 54, 71, 76, 78, 84; IV, 25, 27, 43, 44, 45, 48, 51, 54; V, 7 et alibi. Vid. Drum. IV, p. 320, not. 20.
4) *B. C.* II, 88, 111. 5) Suet. *Caes.* 63.
6) Dio Cass. XLII, 6. — Cff. Drum. p. 530, not. 56 et Egger p. 254, 255. 7) *B. C.* I, 9, 27. — Cf. Nieb. *Vortr.* II, p. 275.
8) *B. C.* I, 22. — Appiano fere assentiuntur Cic. *in Verr.* I, 13; Diod. XXXIV, 25; Vell. Pat. II, 13, 32 et Plin. *Hist. Nat.* XXXIII, 2; Pseudo-Ascon. *in Cic. in Verr.* p. 103, 145 Orell. — Cum eodem faciunt Göttl., *Gesch. der Röm. Staatsverfass.* p. 437 sq.; Drum. II, p. 490; v. Kobbe II, p. 100, 101; Hoeck, I, p. 36; Walter, *Gesch. des Röm. Rechts* I, p. 297 sq.; Nieb. *Vortr.* II, p. 296.
9) Plut. *Tib. Gr.* 9.
10) *B. C.* I, l. l. et 23. — Cf. Nitzsch, p. 451, 452.
11) *B. C.* I, 58 coll. cum Cic. *Cat.* III, 10; Liv. *ep.* 77; Vell. Pat. II, 19; Plut. *Sull.* 9; Flor. III, 21; Eutrop. V, 4; Oros. V, 19.
12) *B. C.* I, 64. — Plut. *Sert.* 4.
13) Sall. *Bell. Iug.* 95. — Val. Max, VI, 4 § 4; 9 § 6; IX, 2 § 1. — Vell. Pat. II, 27. — Sen. *cons. ad Marc.* 12. — Plin. *Hist. Nat.* VII, 44. — Plut. *Sull.* 34. — (A. V.) *d. v. i.* 75. 14) *B. C.* I, 27.
15) *B. C.* I, 98 coll. cum Cic. *contr. Rull.* III, 2; *de fin.* III, 22;

Studiose et data opera funus Sullae atque orationem funebrem ab eloquentissimo illius aetatis viro habitam depingit 1); quae in senatu de Curionis rogatione deliberante acta sint 2), diligentius quam Plutarchus 3) tradit; quamquam Cicero refert, tribunos Caesari faventes nulla vi expulsos esse 4), Appianus his verbis nequaquam in errorem inductus est 5); magis perspicua sunt quae Appianus de honoribus in Caesarem cumulatis affert 6) quam Dionis verba hac de re 7). Sedulo Appianus exponit omnia consilia, quae Octavio post mortem Caesaris a matre et a vitrico data sunt 8); Antonium urbem cum fastu intrantem describit 9); de proelio apud Mutinam omnium copiosissimus est 10); de iis, quae Octavius ceterique triumviri ante et post pugnam Philippensem de communi sententia statuerunt, fuse disserit 11).

De colonia Iunonia obiter tantum agit Appianus 12), quia alio loco 13) uberius illa persequitur; sed ne eum nimis et praeter modum extollere videar, nonnulla addam, quae laudem diligentiae non merentur. Huc refero, eum Scipionem consulis titulo ornare 14), et Romae seditionem ex aere alieno natam necemque Asellionis non suo tempore ponere 15), et secundum viros doctos in memorandis mutationibus a Sulla in republica factis tempora praeoccupare 16), et sibi ipsum teste Schweighaeusero 17) de Sulla iram dissimulante obloqui. Minus recte porro dicit Appianus, Marium iuniorem Praeneste Bruto 18) mandatum suos interficiendi inimicos misis-

Brut. 90, 96; Liv. *ep.* 89; Diod. Sic. XXXVIII, 15; Vell. Pat. II, 28; Plut. *Sull.* 33; Oros. V, 21.

1) *B. C* I, 105, 106. 2) *B. C.* II, 30.

3) Plut. *Pomp.* 58 (non 98, ut habet Drum. III, p. 397, not. 7).

4) Cic *ad fam.* XVI, 11 § 2. 5) *B. C.* II, 33. 6) *B. C.* II, 106.

7) Dio Cass. XLIII, 44. 8) *B. C.* III, 10. 9) *B. C.* III, 45.

10) *B. C.* III, 71, 72. — Cf. Drum I, p 308.

11) *B. C.* IV, 2; V, 3. 12) *B. C.* I, 24. 13) *Pun.* 136.

14) *B. C.* I, 28. — Cf. Kritz *ad Vell. Pat.* I, 15.

15) *B. C.* I, 54. — Cff. Liv. *ep.* 74 et Valer. Max. IX, 7 § 4.

16) *B. C.* I, 59. — Cff. Drum. II, p 438, not. 51; Hoeck I, p. 63, not. 4 et Peter, *Zeittaf.* p. 145, not. *d*, a quibus vero magnopere discrepat Kiene, p. 283 sq.

17) *B.* C. I, 81. — Cf. Schweigh. ad h. l.

18) Hic Brutus a ceteris scriptoribus L. Damasippus vocatur. Cff. Cic.

se 1). Haud verisimiliter tradit, ipsum Sullam copiis praefuisse cum in proeliis ambobus apud Clusium 2), tum in pugnis ad Faventiam et ad Fidentiam (sive ut App. vult ad Placentiam) 3). Quapropter maiorem fidem habeo aliis scriptoribus referentibus, Servilios apud Clusium et M. Lucullum apud Fidentiam victoriam reportavisse 4). Negligenter etiam recenset insidias Sertorio structas 5), quippe qui multis nominibus discrepet a Plutarcho in causam conspirationis sedulo inquirente ac coniuratorum nomina afferente 6). Consulum Spartacum bello aggredientium nomina reticet Appianus 7), et verba ab Adriano imperatore pronuntiata perperam pro monumenti titulo habet 8).

Raro repetitiones apud Appianum offendimus. Ubi enim eandem rem iterum narrat, se ita facere ob contextum et nexum cum iis, quae sequuntur, ipse plerumque indicat 9). Non tamen annotat, se bis loqui de Capitolii incendio 10).

Ultimum diligentiae testimonium, quod proferam, est enumeratio locorum Appiani, e quibus res multas memorabiles discimus, quas sine eo aut prorsus nesciremus, aut minus accurate novissemus. Apud Appianum igitur solum leguntur, vel multo copiosius quam ab aliis relata deprehenduntur sequentia: querelae sociorum ante bellum sociale 11); res gestae Marii Egnatii, Presenteii, Iudacilii 12); senatusconsultum de corporibus in bello defunctorum humandis 13); Marii Egnatii pugna cum Luc. Iul. Caesare 14);

ad fam. IX, 21; Sall. *Bell. Cat.* 51; Liv. *ep.* 86 (non 89, ut habet Drum.); Val. Max. IX, 2 § 3; Vell. Pat. II, 26 et Oros. V, 26. Cff. Schweigh. ad App. l. l. et Drum. II, p. 463, not. 3, qui Appianum tuetur.

1) *B.* C. I, 88. 2) B. C. I, 89, 92. 3) Ibid. 91, 92.

4) Vell. Pat. II, 28. — Plut. *Sull.* 27. — Oros. V, 20. — Cf. Drakenb. *ad Liv. ep.* 88. 5) *B. C.* I, 113.

6) Plut. *Sert.* 25, 26; *Pomp.* 20. — Cff. quoque Front. *Strat.* II, 5 § 31; Sall. *Hist.* ed. Gerlach I, p. 237; Liv. *ep.* 96; Vell. Pat. II, 30; Flor. III, 22; Eutrop. VI, 1; Iul. Exuperant. *d. b. c.* fin. — Vid. Drum. IV, p. 374.

7) *B. C.* I, 117 coll. cum Liv. *ep.* 96, Plut. *Crass.* 9 et Oros. V, 24.

8) *B. C.* II, 86. — Cff. Reim. *ad Dion. Cass.* p. 1159 § 91 et Drum. III, p. 525, not. 13.

9) *B. C.* I, 34, ubi de Fulvio Flacco idem legitur ac cap. 21. Vid. porro II, 153; IV, 57, 58; V, 113. 10) *B. C.* I, 83, 86. 11) *B. C.* I, 39.

12) Ibid. 41, 42. 13) Ibid. 43. 14) Ibid. 45.

Lafrenium, Vettium Catonem et Iudacilium Cn. Pompeium in Firmum oppidum compulisse 1); quis fuerit successor Luc. Iul. Caesaris 2); Sullam quae a Sulpicio acta erant abrogavisse 3); Carbonem effecisse, ut Metellus aliique hostes populi Romani iudicati sint 4); pugnae apud Aesim, ad Glanim, ad Saturniam, apud Clusium, in campis Spoletinis aliaeque et defectio Lucanae legionis 5); expugnatio et eversio oppidi Norbae 6); Sullam Graecorum spectacula Romam transtulisse 7) et Alexandrinis Alexandrum regem dedisse 8), et dictum eius de adolescente eum incusante conviciisque prosequente 9); postrema belli Sertoriani gesta 10); indignatio militum adversus Perpernam scelere in Sertorium perpetrato 11); denique multa illa proelia a consulibus contra Spartacum commissa 12) foedusque a Spartaco oblatum, a Crasso cum contemtu reiectum 13). Haec de libro primo.

E secundo libro haec citanda sunt: Bibulum ab amicis in fanum Iovis Statoris subductum esse 14); Caesarem rogationem tulisse ad populum, ut capitalis esset, qui non in suas leges iuraret 15); Clodium videri Caesarem in petitione Galliae provinciae adiuvisse 16); Pompeii literae astutae ad senatum post Curionis postulatum de potestate et Caesari et Pompeio abroganda 17); Caesarem Brundusii militibus donativi nomine quinas minas pollicitum esse 18) et Romae populo fame laboranti frumentum distribuisse 19); Caesarianos ad Pharsalum iussu ducis suum vallum convellisse et in fossam congessisse 20); tessera utriusque exercitus in eodem proelio 21) atque in pugna ad Mundam (Cordubam) 22); Pontium Aquilam factioni Pom-

1) Ibid. 47. 2) Ibid. 48. 3) Ibid. 59. 4) Ibid. 86.
5) Ibid. 87-92.
6) Ibid. 94. — Quod omisit Freinsh. *ad Liv.* LXXXVIII.
7) Ibid. 99. 8) Ibid. 102. — Cf. Freinsh. *ad Liv.* LXXXIX, 23, 24.
9) Ibid. 104. — Cf. Drum. II, p. 496, not. 90.
10) *B. C.* I, 112. — Cf. Drum. IV, p. 372, not. 89. 11) *B. C.* I, 114.
12) *B. C.* I, 117. — Unum tantum proelium occurrit apud Liv. *ep.* 96; Flor. III, 20; Plut. *Crass.* 9; Tac. *Ann.* III, 73; Oros. V, 24.
13) *B. C.* I, 120. 14) *B. C.* II, 11.
15) *B. C.* I, 12. — Cf. Drum. III, p. 205, not. 63. 16) *B. C.* II, 14.
17) *B. C.* II, 28. 18) *B. C.* II, 47. 19) Ibid. 48.
20) Ibid. 74, 75. 21) *B. C.* II, 76. 22) Ibid. 104.

peianae adnumerandum esse 1); Caesaris interfectores multos mercede conduxisse, qui assiduis vociferationibus pacem a magistratibus flagitarent istoque artificio suae incolumitati consulerent 2); verba, quae Antonius aliique scelere illo perpetrato in senatu fecerunt 3).

E libro tertio affero: Antonio a senatu concessum esse, ut satellitium sex millium armatorum, magna ex parte centurionum, sibi deligeret 4); lites Octavio intentatas de praediis, quae ei ex hereditate paterna obvenerunt 5); rumores de Getarum in Macedoniam incursionibus 6); Octavium ad fores Antonii procurrisse et vociferatum esse 7); Antonium, ne legiones signa ad Octavium transferrent, iis viritim bis mille sestertios misisse 8); Salvium primum cum Antonio fecisse 9); Pisonis sententiam in senatu causasque, cur ita censuerit 10); Ventidii iter 11); duo proelia ad Forum Gallorum 12); Octavium frustra triumphum a senatu petiisse 13); senatum timentem, ne Octavius foedus cum Antonio faceret, clam duos viros ad Brutum ac Cassium misisse 14); lepidum Octavii dictum ad Ciceronem 15).

Libro quarto silentibus aliis scriptoribus ab Appiano sequentia exhibentur: argumentum formulae proscriptionis ab Octavio ceterisque triumviris promulgatae 16); Planci fratrem, Plotium, inter proscriptos fuisse 17); historia Lucii Asinii 18) multorumque aliorum proscriptorum casus; Antonium in Thaso multum pecuniae collegisse 19).

Denique e libro quinto haec mihi laudanda videntur: dimissio emeritorum et divisio copiarum inter triumviros 20); Antonium Ephesi postulata sua lenivisse 21); Antonii equites inanes Palmyra reversos esse 22); causae, cur inimicitia inter

1) Ibid. 113. — Cf. Drum. III, p. 709. 2) *B. C.* II, 120, 121.
3) *B. C.* II, 128, 129.
4) *B. C.* III, 4, 5. — Quod incredibile putat Peter, *Phil.* VIII, 3, p. 435. 5) *B. C.* III, 21 sq. 6) Ibid. 25. 7) Ibid. 39.
8) *B. C.* III, 45. 9) Ibid. 50, 51. 10) *B. C.* III, 50.
11) Ibid. 66. — Cf. Drum. I, p. 290.
12) *B. C.* III, 67-70. — Cf. Drum. I, p. 297, not. 26.
13) *B. C.* III, 80, 82, 89. 14) *B.* C. III, 85. — Cf. Drum I, p. 327.
15) *B.* C. III, 92. — Vid. porro Egger p. 256. 16) *B. C.* IV, 8 sq.
17) Ibid. 12. 18) Ibid. 12, 27. 19) *B. C.* IV, 136.
20) *B. C.* V, 3. 21) Ibid. 6. 22) *B. C.* V, 9.

Octavium et L. Antonium exstiterit 1); duas tantum postremas conditiones foederis inter Octavium et L. Antonium renovati ratas fuisse 2); quaedam belli Perusini facinora 3); legatio ab Octavio ad Antonium missa 4); L. Antonium ab Octavio honoris specie in Hispaniam ablegatum esse 5); Sex. Pompeium Corsicam possedisse 6).

Sed a pluribus locis eiusmodi afferendis abstineo, quia iamdudum apud viros doctos constat, Appianum in multis partibus librorum de bellis civilibus, praesertim in historia belli socialis et Sex. Pompeii primarium auctorem esse, e quo rerum gestarum accurata notitia saepe unice repetenda sit 7).

---

1) *B. C.* V, 19, 29, 39, 43, 54. 2) Ibid. 20.
3) Ibid. 31-34. — Cf. Drum. I, p. 407, 408. 4) Ibid. 60.
5) Ibid. 54. 6) Ibid. 67. — Cf. Dorn Seiff. p. 18.
7) Cff. Wachsm. *Ersch. u. Grub.*: die Güte von der Geschichte der Bürgerkriege hat die Mängel des übrigen wol übersehen lassen." — Drum. I, p. 81: „Wie kein Anderer unter denen, welche hier in Betracht kommen, hat Appian die Charaktere durchschaut und die Erscheinungen auf ihre Quelle zurückgeführt. — Meistens bewährt er den tiefen Denker." — Egger p. 256: „Plus nous avançons dans l' histoire des guerres civiles, plus l' importance du récit d' Appien se fait sentir. Mais en même temps il devient quelquefois impossible d' en contrôler l'exactitude par la comparaison de récits contemporains," et p. 311: „Il faut vraiment écarter les grands annalistes de Rome; il faut oublier aussi Thucydide, Xénophon, nous oserons dire Appien lui-même, pour conserver à Dion Cassius la place éminente et presque officielle qu'on lui attribue depuis si longtemps parmi les historiens grecs." — Dorn Seiff. p. 13: „Dio Cassius Appiano posthabendus est. — Multa, quae Appianus tradidit, aut minus bene, aut prorsus non nobis reliquit." — Cff. porro Egger p. 305 sq. et Dorn. Seiff. p. 14 sq. examen accuratum, quo iudicium suum de Appiano et de Dione comprobent, instituentes.

CAPUT VII.

De Appiani fide et veritate.

Tertio loco quaeritur de Appiani fide et veritate. Si verum est, stilum esse hominem hominisque mores ergo ex eius scriptis cognosci posse, constat, in libris de bellis civilibus haud pauca indicia occurrere luculenter demonstrantia, Appianum virum probissimum fuisse. Virtutem enim eum sectari, vitium odisse, e pluribus locis liquet. Recenset v. c. in historia proscriptionum casus illorum filiorum perditorum, qui patribus suis interfectoribus traditis, ut ipse ait 1), dein dignum factis exitum invenerunt 2); Popilii Laenatis animum ingratum culpat 3); filios fratresque bonos laudibus ornat 4); tria tantum exempla pravarum mulierum affert 5), plurima contra bonarum uxorum 6), servorum fidelium 7) aliaque eiusmodi 8). Nihil unquam proscriptionibus alterius triumviratus atrocius apud Graecos, neque apud Romanos memoriae proditum esse, cum horrore probat 9). Natura candidissimus aestimator Appianus utrique fratrum Thracum debitam laudem tribuit 10); ducum utriusque factionis in pugna Philippensi alacritatem et ardorem agnoscit 11); mutuam Octavii Antoniique fiduciam declarat 12); Menam sive Menodorum iterum tertioque transfugiendo parum honeste egisse existimat 13) militesque inducit Lepidi segnitiem et iniquitatem damnantes 14). Fulviae crudelitatem haudquaquam reticet 15); in medio relinquit, in

1) *B. C.* IV, 18. 2) l. l. 3) *B. C.* IV, 20. 4) *B. C.* IV, 21, 22.
5) *B. C.* IV, 23, 24. 6) *B. C.* IV, 39, 40.
7) *B. C.* IV, 26, 29, 43, 44. 8) *B. C.* IV, 41, 45, 47, 50.
9) *B. C.* IV, 1. 10) *B. C.* IV, 104. 11) *B. C.* IV, 128.
12) *B. C.* V, 94. 13) *B. C.* V, 102. 14) *B. C.* V, 124.
15) *B. C.* IV, 29.

quem culpa caedis Sex. Pompeii conferenda sit 1), ac se nescire fatetur, cur Antonius Octavium Brundusii non exspectaverit 2).

Appiano profecto obiici non potest, quod in condenda historia metui aut gratiae aliquid tribuerit 3). Dei consilium omnia ita regere et eo tendere putat, ut nasceretur potentissimum illud imperium Romanum. Hinc imperatorum benefacta laudat quidem, sed neque iis, neque viris principibus priorum temporum adulatur 4). Quo autem melius appareat, scriptorem amoris et odii causas procul habuisse, age eius de illustribus in republica administranda viris iudicia afferamus. De Gracchorum consiliis longe diversa fuisse novimus iudicia, quum ab aliis 5) ut vindices libertatis populi Romani in coelum extollerentur laudibus, ab aliis non turbarum modo, quas excitarent, sed bellorum civilium, quae diu post eorum interitum exarserint, auctores haberentur 6). Appianum vero si legis, illud mox in oculos incurrit, praeeuntes eum sibi non unice habuisse scriptores, qui de Gracchis eorumque inceptis magnifice sentirent 7), quippe qui Tiberium signum proelii ex composito dedisse et patriae bene quidem, sed violentius consuluisse opinetur 8) Caioque monstruosa consilia imputet 9). Verum de Gracchorum rebus non tam iniquus iudex est quam aut Diodorus, aut Livius, nam Tiberii dotes summis effert laudibus 10); eum a divitibus conviciis petitum esse scribit 11) Octaviumque iterum obsecravisse atque orasse, ut ab incepto desisteret 12) factionisque adversariae odium asperum et implacabile in lucem profert 13). Cuius factionis con-

1) *B. C.* V, 144. 2) *B. C.* V, 79.

3) Egger p. 250: „Le principal caractère, qui recommande Appien à notre estime, c'est une parfaite candeur." — „Pas la moindre flatterie envers les puissances du jour, ni dans le présent, ni dans le passé."

4) Prooem. 7. 5) Ad hos pertinet Plut. *Tib. Gr.* 11, 13, 15; *C. Gr.* 2, 3, 15, 16.

6) Cic. *de Off.* I, 22; II, 12. Excipiatur locus *de leg. agr.* II, 5. Cff. Hoeck I, 41 et Lau, *die Gracchen*, p. 6, 7. — Diod. Sic. XXXIV, 25. — Liv. *ep.* 58, 60, 61. — Vell. Pat. II, 2, 3, 6. — Tac. *Ann.* III, 27. (A. V.) *d. v. i.* 64, 65. — Oros. V, 8, 9, 12.

7) *B. C.* I, 2, 15. 8) *B. C.* I, 15, 17. 9) *B. C.* I, 25.

10) *B. C.* I, 9. 11) Ibid. 12. 12) Ibid. 13) Ibid. 13, 14.

temtum iam antequam se tribunatus candidatum profiteretur, Caium expertum esse confitetur 1). Idem Tiberium excusat, qui legem agrariam instaurans ipsa consilii utilitate maxime elatus de difficultate rei ne cogitaverit quidem 2). Etsi igitur Appianus optimatium partibus favisse videtur et ea facile credidisse, quae a nobilibus annalium scriptoribus de adversariis scripta erant, veritatem nunquam sciens inflexit.

Eandem Appiani aequitatem cernimus in iudicio 3), quod de Livio Druso fert, quem conatum esse ait, senatum et equestrem ordinem tunc maxime propter iudicia dissidentes aequis conditionibus invicem conciliare. Quam sententiam comprobat Niebuhrius 4), qui tamen immerito censet, Appianum de fama Sulpicii detraxisse eumque calumniatum esse 5). Quum enim Appianus nude tantum res narret, Velleium 6) et Plutarchum 7) Sulpicio conviciari, iure quis putaverit. Appianum tamen in historia belli Mariani et Sullani a Sullae partibus stetisse, non est ut dubitemus. Quamquam enim Plutarchus 8) et Florus 9) tradunt, Sullam Romam hostiliter ingredientem domos quasdam succendisse, Appianus satis habet dicere, eum domorum incendium comminatum esse, nisi incolae sua tela cohibuissent 10). Idem porro obiter notat, Sullam, velut ad deliberandum, a foro secessisse 11), alium rumorem Sullae iniquum omittens 12). Praetermittit etiam, legatos Marii, quum hic Sulpicii opera dux belli Mithridatici creatus esset, a Sullae militibus in Campania occisos esse 13), sed solus inter scriptores refert, Cinnam trecentis talentis corruptum esse, ut sententiae accederet novorum civium Marium revocare cupientium 14). Alio vero loco leniorem quam Velleius 15) sen-

1) *B. C.* I, 21. 2) *B. C.* I, 11.

3) *B. C.* I, 35. — Longe aliter de Livio Druso loquitur Vell. Pat. II, 13, 14, de quo vid. Freinsh. LXXI, 25.

4) Nieb. *Vortr.* II, p. 341. 5) *B. C.* I, 55. — Cf. Nieb. *Vortr.* II, p. 363. 6) Vell. Pat. II, 18. 7) Plut. *Mar.* 35; *Sull.* 8.

8) Plut. *Sull.* 9. 9) Flor. III, 21. — Quicum quodammodo facit Oros. V, 19. 10) *B. C.* I, 58. 11) *B. C.* I, 56. 12) Plut. *Mar.* 35.

13) De numero legatorum caesorum et de loco caedis ambigunt scriptores: Cff. Val. Max. IX, 7 § 1; Plut. *Mar.* 35; *Sull.* 8; Oros. V, 19.

14) *B. C.* I, 64. 15) Vell. Pat. II, 20.

tentiam fert de causa, cur tribuni una cum militibus Cinnae sacramentum dixerint 1). Ceterum qualem hominem Marium habuerit Appianus, optime elucet ex eo loco, ubi eum vultus austeritate satis prae se tulisse tradit, quantas caedes editurus esset, eiusdemque dictum salsum citat 2). Sponte intelligitur Appianum ob eam causam, quam supra protulimus, in Sertoriano bello enarrando parum aequum iudicem fuisse. Nullum alium ducem illa aetate rei militaris peritiorem fuisse confitetur quidem 3), sed quam frigida sunt illa verba prae Plutarcho Sertorii continentiam in amoribus, constantiam erga amicos, clementiam, abstinentiam, verecundiam praedicante 4). Plutarchus Sertorium crimine Lauronis urbis incensae dirutaeque purgare studet 5). Non ita Appianus, qui eum porro propter flagitium unius militis integram cohortem morte affecisse commemorat 6), cuius rei Plutarchus, qui tamen alia Sertorii severitatis exempla affert 7), ne verbo quidem meminit. Hic pariter ignorat, Sertorium postremo vitae tempore multo ad labores remissiorem fuisse mulierumque consuetudini et potui comessationibusque se dedere coepisse, quod Appianus affirmat 8), qui Livium 9) verisimiliter secutus eundem multo prius quam Plutarchus 10) milites suos atroci saevitia tractavisse scribit 11). Non aliter de Spartaco agit Appianus: huius enim facta crudelia recenset 12), virtutes 13) omittit.

Librum secundum Appiani legentibus mox in oculos incurrit, scriptorem a Caesaris partibus stare. Nam auctore Appiano Caesar et tribunis peccati conscientia pavidis ultro veniam dedit 14), et fassus est suum erratum, quod ad Dyrrachium castra posuisset 15), et legionem decimam post seditionem gravissimam in gratiam recepit 16). Idem plurima alia documenta Caesaris clementiae animique magnitudinis af-

1) *B. C.* I, 66. 2) *B. C.* I, 70. 3) *B. C.* I, 112.
4) Plut. *Sert.* 1, 9, 23, 26. 5) Ibid. 18. 6) *B. C.* I, 109.
7) Plut. *Sert.* 3, 5, 18. 8) *B. C.* I, 113. 9) Liv. *ep.* 92.
10) Plut. *Sert.* 25. 11) *B. C.* I, 113.
12) *B. C.* I, 117, 119. — Narratiunculam de Spartaco Crixi manibus parentante conturbat Oros. V, 14. 13) Cf. Plut. *Crass.* 8.
14) *B. C.* II, 63. 15) *B. C.* II, 64. 16) *B. C.* II, 94.

fert 1), eius audacia depingenda delectatur 2), quidquid ille promisisset militibus persolutum esse affirmat 3) eiusdemque quoque opera factum esse, ut Cicero sponte in exilium exiret, reticet 4). Quanti Appianus Caesarem faciat, in primis ostendunt ea capita, in quibus scriptor eum cum Alexandro comparans ambos summis extollit laudibus 5). Verum Caesari non adeo favet, ut nihil in eo non celebret. Narrat enim, Caesarem tanquam coniurationis Catilinariae participem aut certe non ignarum nonnihil suspectum habitum esse 6) ambitiosisque largitionibus exhaustum non fuisse solvendo 7). Perperam credit, Caesarem, quem egregium simulandi artificem vocat, Bibulum decepisse 8) eique mortem Achillae tribuit 9) falsoque narrat, eum Uticae ex trecentis illis mercatoribus necavisse, quotquot in potestatem redacti sint 10). Quanta vi pecuniae Curio et Paulus corrupti sint, ex Appiano discis, qui praeterea ingenue fatetur, proelium apud Thapsum Caesari omni ex parte laboriosum et difficillimum fuisse 11), neque dissimulat, Caesarem senatoribus haud assurgentem affectationem regni criminantibus ansam opportunam dedisse eique nomen regis gratissimum futurum fuisse 12). Ubi Dio tandem tradit, Caesarem in gratiam pauperum rogationes in senatu fecisse iisque agros distribuisse, eum simul fuse defendit 13), quum Appianus contra rem strictim modo enarret 14).

Sed quaeri potest, num studio Caesarianae partis nimis indulgens Appianus res personasque contrarias satis integro aequoque animo tractaverit, necne. Et primum quidem Pompeio multa vitio vertit: eum dictaturam verbis aversantem clam omnimode studuisse, ut eo res perveniret 15), et tunc etiam sub-

1) *B. C.* II, 38, 42, 107. 2) *B.* C. II, 58, 92, 104.
3) *B. C.* II, 102. 4) *B. C.* II, 15. 5) *B. C.* II, 149 sq.
6) *B. C.* II, 6. 7) *B. C.* II, 8, 13.
8) *B. C.* II, 10. — Cf. Drum. III, p. 195.
9) *B. C.* II, 90. — Cf. Drum. III, p. 540, not. 20.
10) *B. C.* II, 100. — Cff. Drum. III, p. 603, not. 43 et v. Limb. Brouw. IV, p. 192.
11) *B. C.* II, 97. — Cf. v. Limb. Brouw. IV, p. 190.
12) *B. C.* II, 107, 108. — Longe aliter Plut. *Caes.* 60.
13) Dio Cass. XXXVIII, 1, 2. 14) *B. C.* II, 10. 15) *B. C.* II, 20.

dole egisse, quum parendum esse diceret consulibus iubentibus, eum pro patria contra Caesarem pugnare 1). Eundem reprehendit, quod negligenter de rebus instantibus coniecturam faceret 2), saepius occasionem rei bene gerendae amitteret 3), parum prudenter terrestri pugna cum Caesarianis decertaret 4), et modo inexplicabili post pugnam Pharsalicam magnas suas vires fugiendo negligeret 5). Laudat e contrario Pompeii curam in apparando bello 6), eum ad summam diligentiam nihil reliqui fecisse ait, ut Caesarem in itinere ad Dyrrachium praeveniret marique sedulam custodiam adhibuisse 7). Alio loco dicit, Pompeium, contra suam naturam, per totum bellum civile tardum et veluti torpidum fuisse vitamque ac mores amicorum opinantium se iam rem factam habere atque omnia contemtim et inconsiderate agentium indignatum esse 8). Haec de Pompeio. Inter Caesaris adversarios fuit et Cato, quem Appianus tamen egregio elogio ornat 9), et Cicero, cuius eximias dotes et merita haud contemnit, sed debita observantia praedicat 10). Attamen Appianus mihi videtur Ciceronis indolem deprimere voluisse et data opera eius gloriae obtrectavisse. Hinc eum imbecilli abiectoque animo iudicium sibi a Clodio intentatum tulisse perhibet 11), eum falso adulterationis senatusconsultorum insimulat 12) solusque exactionum gravissimarum accusat 13). Secundum Appianum tantus strepitus excitatus est a Ciceronis amicis, postquam hic in senatu verba fecit, ut diu nemini contra dicturo silentium praeberetur 14). Teste eodem Cicero magno furore, praeter omne decorum, in Antonium concitus erat 15) suaque ambitione senatui ridendi materiam praebuit 16), et licet ad eum diem nusquam non adfuisset, tum quidem nullibi comparuit, quum Octavius urbem versus castra moveret 17), denique in

1) *B. C.* II, 31. 2) *B. C.* II, 52. 3) *B. C.* II, 62, 64.
4) *B. C.* II, 71. 5) *B. C.* II, 87. 6) *B. C.* II, 49.
7) *B. C.* II, 55, 56. 8) *B. C.* II, 67, 69. 9) *B. C.* II, 99.
10) *B. C.* II, 15; IV, 20. 11) *B. C.* II, 15.
12) *B. C* III, 61. — Quo crimine etiam Drum. I, p. 242 Ciceronem liberat.
13) *B. C.* II, 66. 14) *B. C.* III, 54. 15) *B. C.* III, 74.
16) *B. C.* III, 82. 17) *B. C.* III, 89.

Octavii colloquium admissus ipse multis verbis praedicavit, quanto studio in senatu de consulatu ei conferendo egisset 1).

Non meum est, quo iure ita de florentissimo Romanorum oratore sentiat, disceptare. Sed hoc unum si excipias, sane omnia apud eum ex animi sententia profecta sunt. Supra iam vidimus, quomodo Appianus de providentia divina Romae magnitudini prospiciente 2) disputet. Cum hac opinione arcte cohaerere puto rationem, qua et alios viros, etvero Octavium Antoniumque diiudicet. Quum enim intime sibi persuasum habeat, monarchiam necessariam fuisse, Octavio propensior est quam Antonio. Quod ut probemus, primum ea citabimus, quae in gratiam Octavii atque in detrimentum Antonii ab Appiano scripta esse comperimus. Tradit igitur, Antonium Caesaris actis multa de suo adiecisse 3); eum variis modis senatui gratificatum esse 4); Octavium Antonii opera in litibus de haereditate paterna fere ubique causa cecidisse 5); Antonium falsis rumoribus sparsis exercitum Macedonicum ad se pertraxisse 6); eum contumelias et iniurias in Octavium congessisse 7); milites Antonii parsimoniam risu excepisse 8); hunc D. Bruti calamitatem hactenus miseratum esse, ut videre miserum non sustinuerit, sed alicui mandaverit, ut Decimum interficeret 9); Coponii vitam uxorem ab Antonio impetravisse, pudicam huc usque, sed tunc malum malo medicantem 10); Antonium remissa pristina industria mox Cleopatrae prorsus obnoxium fuisse 11); eundem secreto quodam prodendo Salvidieno causam mortis praematurae exstitisse 12). De Octavio contra haec inveniuntur: eum turpissimum sibi ratum Caesarem non ulcisci 13); magnum consursum amicorum, libertorum, militum ad Octavium fuisse 14); plebem mirifico affectu et commiseratione adolescentem complexam esse 15); plebem in gratiam Antonii suffragia tulisse propter Octavium pro illo deprecantem 16);

1) *B. C.* III, 92. 2) Vid. supra p. 77.
3) *B. C.* III, 5. — Cf. Plut. *Ant.* 15.
4) *B. C.* III, 2, 3, 5. 5) *B. C.* III, 22. 6) *B. C.* III, 25.
7) *B. C.* III, 28. 8) *B. C.* III, 43. 9) *B. C.* III, 98.
10) *B. C.* IV, 40. 11) *B. C.* V, 9, 11. 11) *B. C.* V, 66.
13) *B. C.* III, 11. 14) *B. C.* III, 11, 12.
15) *B. C.* III, 23, 24. 16) *B. C.* III, 30.

Antonium contra animo ingrato edictum quoddam adversus Octavium promulgasse 1); hunc donativi largitate milites suos sibi devinxisse 2); eundem moderatione magna titulum propraetoris sibi ab exercitu oblatum recusavisse et totam rem in arbitrium senatus reiecisse 3); Octavium abstinentissimum fuisse, qui D. Bruti mandata ad senatum et ad Pansam scripserit nihilque suo arbitrio decreverit 4); senatum Octavio perplures iniurias intulisse 5); senatum Q. Gallium capitis damnasse, sed Octavium eum iussisse ad fratrem abire 6); Octavium imperium solido fundamento firmavisse genusque et nomen suum in imperatores sequentes propagavisse 7). Praeter hos locos Octavio faventes alii inveniuntur, ubi Appianus de militum insolentia exponens Octavium excusat eiusque clementiam celebrat 8), et Lucium Antonium bello cum Octavio ansam dedisse contendit 9) Octaviique magnanimitatem erga Perusinos explicat 10) eiusque ingenium 11) et celeritatem 12) ac lenitatem erga Lepidum 13) praedicat; eum intra unum annum securam pacem reddidisse refert urbi et Siciliae palam a latronibus infestatis 14), tandem eum omnes literas actaque cremavisse tradit, quae dissensionum praeteritarum documenta essent, quo integram populo restitueret rem publicam 15).

Haecce excipiant loci, ubi Appianus nequaquam silentio praeteriit quae in Octavio reprehenda erant, et simul honorificam de Antonio mentionem facit. Causas et rumores Antonio faventes diserte memorat 16); refert, eum non decimum quemque e militibus seditiosis, sed partem tantum supplicio affecisse 17), militibusque multum pecuniae distribuisse 18); alia insuper exempla eius clementiae profert 19); Philippensem victoriam totam

1) *B. C.* III, 31. 2) *B. C.* III, 48. 3) Ibid.
4) *B. C.* III, 73. 5) *B. C.* III, 86.
6) *B. C.* III, 95. — Cff. Schweigh. ad h. l. et Egger p. 18: „Ici encore Appien suit la tradition la plus favorable à l'honneur du second César; et ce n'est pas le seul passage où il traduit le texte des Mémoires, quoiqu'il ne les cite pas toujours expressément."
7) *B. C.* IV, 16. 8) *B. C.* V, 15, 16. 9) *B. C.* V, 23, 29.
10) *B. C.* V, 48. 11) *B. C.* V, 92. 12) *B. C.* V, 99.
13) *B. C.* V, 131. 14) *B. C.* V, 132.
15) Ibid. — Cf. Egger p. 73, 74. 16) *B. C.* III, 39.
17) *B. C.* III, 43. 18) *B. C.* IV, 120. 19) *B. C.* V, 6, 7.

ad unum Antonium referendam esse confitetur 1); eius audaciam in periculis celebrat 2) dicitque, eum facile Sex. Pompeii legatis fidem habuisse, quippe virum et alias minime malitiosum et ingenio simplicem ac magnanimum 3). Ciceroni Antonio falso animum hostilem in Romam attribuenti contradicit Appianus in oratione Pisonis 4), atque ubi Cicero Antonii saevitiam et crudelitatem in militibus puniendis multum auget 5), Appianus ipsius Ciceronis verbis rem simpliciter ita narrat: „At occidit aliquot milites Antonius! Occidit pro imperio, quod vestris consecutus est suffragiis" 6). Alio loco Appianus Antonium excusat, quod amicorum optimam sententiam aspernatus sit 7) eundemque Lucium fratrem, et Fulviam, et maxime omnium Manium ob res ad Perusiam gestas vituperasse affirmat 8); eum libentissime Octavio opem tulisse 9) atque mortem Fulviae parum fortiter tulisse fatetur, secum reputantem, se nonnihil ad eam contulisse 10). Et quamquam Antonii desidiam per hiemen Athenis actam memorat, adiicit tamen, eum hieme exacta ad militarem cultum rediisse personamque mutavisse 11). Ab altera parte tradit, plebem Octavium lapidibus appetivisse 12); pacem inter eum et Pompeium turbatam esse propter alias causas quam ille prae se ferret 13); Octavium Lepidi copias corrupisse 14) et ob futilem causam praesidium castelli cuiusdam interfecisse 15) ac perfide erga servos militiae adscriptos egisse 16) Antonioque clam per libellos aliisque modis legiones suas surripuisse 17), atque Asinium Lepidumque omnibus modis in senatum instigavisse 18). Neque, ut hoc verbo addam, Appianus ad eos scriptores pertinet, qui Octavium atrocitatem proscriptionem minuisse frustra contendant 19).

Praeter Antonium et Octavium sane inter primarios viros

1) *B. C.* V, 14. 2) *B. C.* III, 72. 3) *B. C.* V, 136.
4) *B. C.* III, 58. — Cf. Drum. I, p. 204. 5) Cic. *Phil.* III, 2, 4; 4, 2.
6) *B. C.* III, 43, 44, 53, 56. 7) *B. C.* III, 72.
8) *B. C.* V, 52. 9) *B. C.* V, 93. 10) *B. C.* V, 59, 62.
11) *B. C.* V, 76. 12) *B. C.* V, 68. 13) *B. C.* V, 77.
14) *B. C.* V, 124. 15) *B. C.* V, 125. 16) *B. C.* V, 131.
17) *B. C.* III, 31, 40, 43, 44. 16) *B. C.* III, 81.
19) Qua de re cf. Drum. I, p. 367.

illorum temporum recensendi sunt Brutus, Cassius, Sex. Pompeius, de quibus scriptor item sine ira et studio agit. Nam senatum Bruto et Cassio favisse ostendit 1); exempla eorum crudelitatis avaritiaeque affert quidem 2), sed testimonia eorum misericordiam, clementiam, iustitiam, diligentiam illustrantia aeque citat 3). Eos pecuniam militibus distribuisse refert 4), exercitumque Brutum insano impetu invitum ad proelium compulisse 5) atque ei indignum responsum dedisse 6). Cassii mores ab Appiano vituperantur, Bruti vero mores laudantur 7). Sed utriusque exitu enarrato eximiis laudibus eos ornat damnatque tantum scelus in Caesarem admissum 8). Quod ad Sex. Pompeium attinet, Appianus tradit, quam perfide Murcum tractaverit 9), et ostendit, quam facile a suis ministris alienaretur 10), probatque, eum per imperitiam et ignorantiam rei bene gerendae occasionem amisisse 11), et accusat eum stultitiae, quod non desineret cum potentiore bellum gerere 12), seque deinde sine conditionibus Amyntae dederit 13). Verum haec aliaque saepius excusat, quod deus Pompeio mentem ademerit 14), quemadmodum eum alibi laudat, qui paternam laudem non minore propria cumulaverit 15), et pulchrum eius responsum citat 16) causasque affert, quare Titium merito suspectum habuerit 17). Pariter de senatu loquens bona malaque miscet: eius enim levitatem et timiditatem vituperat quidem, sed eum dein erectum esse, dicere haud praetermittit 18).

1) *B. C.* III, 2, 3, 6, 8. 2) *B. C.* IV, 62, 64, 75, 81, 82.
3) *B. C.* IV, 64, 80, 81, 114. 4) *B. C.* IV, 100, 118.
5) *B. C.* IV, 123, 125. 6) *B. C.* IV, 131. 7) *B. C.* IV, 123.
8) *B. C.* IV, 132, 133, 134. 9) *B. C.* V, 70. 10) *B. C.* V, 78.
11) *B. C.* V, 110. 12) *B. C.* V, 139. 13) *B. C.* V, 142.
14) *B. C.* V, 140, 143. 15) *B. C.* IV, 36; V, 143.
16) *B. C.* V, 73. 17) *B. C.* V, 142.
18) *B. C.* III, 90, 91, 93.

CAPUT VIII.

De orationibus in Appiani libris de Bellis Civilibus obviis.

Appianus homines non tantum agentes, sed loquentes in historiam suam induxit. Affert enim perplures orationes a Sulla 1), a Caesare 2), a Pompeio 3), a Lepido 4), ab Antonio 5), a Pisone 6) a Bruto et Cassio 7), ab Octavio 8), a tribunis militum 9), a Cicerone 10), a Pansa 11), ab Hortensia 12), ab Archelao 13), a Lucio Antonio 14) atque ab aliis 15) ad hostes, ad milites, ad senatum, ad populum, ad viros modo dictos, ad nullum non habitas. Quod scriptor praeterea sententias atque opiniones virorum quorundam memoravit 16), et supra attigi, et nunc nihil moror, sed potius in orationum illarum indolem paululum inquirendum est. Illas autem Appianus vel directo, quod plerumque fit, vel indirecto sermone 17) citat. Haud credo, hodie multos fore, qui nesciant, has orationes non eo modo, quo Appianus velit, habitas esse. Veteres enim longe aliud spectantes quam nostrorum temporum historici fidem historicam ab orationibus abesse posse arbitrati

1) *B. C.* I, 57, 65, 89, 95. 2) *B. C.* II, 43, 47, 53, 73, 74.
3) *B. C.* II, 50, 51, 72. 4) *B. C.* II, 131.
5) *B. C.* II, 128, 130, 133, 134, 144-146; III, 18-20, 33-38, 43, 44, 62; IV, 119, 120, 125; V, 4, 5.
6) *B. C.* II, 136; III, 54-60.
7) *B. C.* II, 137-141; IV, 69, 70, 90-101, 117, 118, 125.
8) *B. C.* III, 13, 14, 15-18, 28, 48, 65, 86, 87; IV, 126; V, 28, 45, 47, 129, 130. 9) *B. C.* III, 32. 10) *B. C.* III, 52, 53.
11) *B. C.* III, 75, 76. 12) *B.* C. IV, 32, 33.
13) *B. C.* IV, 67, 68. 14) *B. C.* V, 30, 36, 42-45.
15) *B. C.* III, 90; V, 134, 135. 16) *B. C.* III, 50; IV, 65.
17) *B. C.* I, 57, 89, 95; III, 14, 86, 87; V, 129, 130.

sunt. Appiano vero paulo maiorem in orationibus ab eo relatis fidem tribuamus necesse est 1).

Suspicor enim, scriptori exemplum quoddam in manibus fuisse earum orationum, quibus Octavium res a se gestas et reipublicae administrationem coram senatu populoque ordine recensuisse et exposuisse narrat quarumque eum multa exemplaria in vulgus edidisse refert 2). Accedunt plures Appiani loci testantes, eum orationes non semper ex ingenio effinxisse, sed saepissime vera dicere studentem materiam e fontibus genuinis repetivisse. Ita explicat, quî factum sit, ut Antonius in oratione quadam modo de viginti octo legionibus loquatur, quum quadraginta tres fuerint 3), unde liquet, ni fallor, ipsum orationem illam vidisse. Diserte porro orationibus Octavii et Lucii Antonii memoratis dicit, talem fuisse utriusque orationem, quatenus e commentariis sententiam dictorum agnoscere et in sui sermonis vim transferre liceret 4). Hinc vero simul discimus, eum oratorum more quaedam amplificasse, quod Drumanno teste 5) illo etiam loco, quem modo citavi, factum est. Sed Appianus non videtur ingenio suo invenisse Caesaris laudationem funebrem ab Antonio peractam 6), neque Hortensiae orationem ad triumviros 7), neque verba, quibus Octavius milites variis temporibus allocutus est 8), neque sermones inter Octavium et Cocceium habitos 9), neque alias quasdam orationes, quas laudat Eggerus 10). Sed vera fictis mixta esse

1) Cff. Schweigh. *Exerc.* p. 78: „Orationes eae, quibus hinc inde, non nimis tamen frequenter, Historiam Appiani ornatam deprehendimus, non tam ex scriptoris ingenio fictae, quam ex earum rerum temporumque, de quibus agitur, monumentis ductae sunt," et Egger p. 259: „Quant à leur caractère historique, nous avouerons qu' Appien est, avec Tite-Live, celui des annalistes de l'antiquité qui semble avoir suivi de plus près, dans ses harangues, les textes authentiques." — „On ne peut méconnaître, sous le grec d'Appien, quelques traits naïfs de l'éloquence romaine. — Quorum verborum immeror ipse scriptor p. 14 ait: „Les discours (d' Octave) épars dans Appien n'ont aucune authenticité."

2) *B. C.* V, 130. 3) *B. C.* V, 6. 4) *B. C.* V, 45.

5) Drum. I, p. 410. 6) *B. C.* II, 144. — Cf. Drum. I, p. 102.

7) *B. C.* IV, 32, 33. — Cf. Meijer, *Orat. Rom. fragm.* p. 172.

8) *B. C.* III, 48, 65, 86, 87; V, 47. 9) *B. C.* V, 61-63.

10) Egger p. 260.

in Pansae oratione ad Octavium testatur Drumannus 1), qui porro pluribus aliis locis probat, Appianum suas cogitationes verbaque viris principibus tribuisse atque orationes omnino non habitas operi suo inseruisse 2). Sic falsa quoque occurrunt in Ciceronis et Pisonis orationibus in senatu habitis 3). Quamquam igitur Appianum orationum argumentum plerumque e probatis auctoribus desumsisse puto, eum oratorum more multa de suo addidisse, nemo facile negaverit 4).

Quae disputavi si in unum colligo, negari quidem nequit, Appiani operi magna inesse vitia, quae probant, scriptorem communem hominum sortem errandi non effugisse, sed ea maiore ex parte temporibus, quibus vixit, tribuenda esse credo. Quo magis in eo miranda fides a praeiudicatis opinionibus aliena, iudicium, diligentia atque egregius animi candor, quarum virtutum satis documentorum offendimus. Ceterum a lectoribus decedens, me in tota hac disquisitione qualicumque tandem unice veri studio ductum fuisse, lubens profiteor: num vero gravissimo argumento dignam scripserim disputationem, vehementer dubito. Ego enim edidi quae potui, non ut volui.

1) *B. C.* III, 75. — Cf. Drum. I, p. 325.

2) *B. C.* II, 50, 51. Cf. Drum. III, p. 482, not. 49. — Drum. III, p. 752, not. 7; IV, p. 550. — *B. C.* II, 72, ubi verba differunt a Lucano VII, 342. Cf. Drum. III, p. 513, not. 30.

3) *B. C.* III, 52-60. — Cff. Cic. *Phil.* VII, 4 et Drum. I, p. 240.

4) Cf. Egger p. 261: „Sauf de rares exceptions il faut ranger les harangues d' Appien dans la classe des mensonges autorisés par les lois du genre historique chez les anciens."

ERRATA.

Pag. 1	lin. 3	*pro:*	videatur	*legatur:*	videtur.
„ 22	„ 2	„	Appianu mad	„	Appianum ad.
„ 23	„ 5	„	Florus	„	Florum.
„ 58	not. 1	„	qui	„	qui recte.
„ 59	lin. 14	„	Suetonis	„	Suetonio.
„ 76	„ 21	„	quissit	„	quis sit.
„ 76	„ 26	„	6)	„	5).
„ 78	not. 2	„	pluia	„	plura.
„ 110	lin. 18	„	Egnatium	„	Egnatium 24).
„ 128	not. 1	„	tameu	„	tamen.
„ 128	„ 1	„	avec	„	avec.